



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

Lib. VI. De Orationis præsidio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

benter parere velimus, cur idem de inassimabili dilectione tua non presumeremus? alio-
qui fideiiores vellemus apparere quam tu, si tales nos tibi exhiberemus, qualem te nobis, e
conuerso, non crederemus. Hæc D. Anselmus.

Obseruandum autem hic est, nobis quidem esse prouidendum, vt bene
sperandi rationes omnes & causas mente complectamur, memoriaque quam
creberrimè occurfare curemus: Si tamen quæpiam est, qua minùs permoue-
mur, quamve minùs capimus, aut in qua non nihil est quod nos deficit, non est
cur idcirco fatigemur, vegetusque spei vigor elanguescat; satis est vt à ceteris
roboretur, vel etiam ab vnica benè fidendi causa. Veluti, si (quod ad secun-
dam à D. Anselmo positam causam spectat) minùs comperio desideria mea in
Dei laudem ferri, vereorque ne mei ipsius amore ducar: erit quidem, vnde me
ipse reprehendere, & in posterum ad perfectiora stimulare debeam; at interim,
cur non sperabo in Domino, & quas à me non habeo, ab eius bonitate, prou-
dentia, beneficentia, sperandi rationes petam? Omninò id longè satius; exile est
enim, facileque conuellitur, quidquid fallente hominum arte consurgit; at fir-
mum est & perennat, quod sui ortus & auctus fundamenta, ab vno posita Deo,
in eundem, eiusdem ope sustollit.

LIBER SEXTVS,

De Orationis præsidio.

Sperem eam de qua proximè dictum est, vel sequitur, vel vehemen-
ter confirmat oratio: adeoque hæc sunt connexa, vt neque ad ora-
tionem sine spe, quisquam possit accedere, neque iusta bonorum
impetrandorum spes esse possit sine oratione, cum oratio posita
sit à Deo, omnium, atque adeò perseverantiæ obtinendæ via. *Pe- Matth. 7.*
rite, inquit Dominus, & dabitur vobis, querite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vo-
bis. Omnis enim qui petit accipit, & qui querit inuenit, & pulsanti aperietur. Omnia que- *Marc. 11.*
cumque orantes petitis credite quia accipietis, & euenient vobis. Itaque Timor, Spes, O-
ratio firmissima sunt ad perseverandum præsidia, dictum de prioribus, de poste-
riore dicendum.

CAPVT I.

Quid hoc libro tractetur.

EA est nostri seculi ingeniorum fecunditas & ad pietatem vbertas, vt propè innumeri sint, qui vel scriptis libris, vel prolixioribus in rem suam quasi introductionibus, Orationis præcepta fusè dilucideque descripserint. Vitare tamen non possum, quin eadem de re breuiter hîc dicam, ne tam necessario prædico perseueraturum destituisse videar.

At tamen non id specto vt larè hac de re differam, sed breuîus de necessarijs instruam, & ea sola persequar quæ B. P. N. Ignarius aureo suo Exercitiorum libello præcepta tradidit. Hanc sequar methodum, vt humani ingenij captum respectans, è facillimis, nobisque notissimis, huius exercitationis diducendæ, ac latius explicandæ viam præeam.

Quapropter nihil hîc de Oratione quæ voce, sed de sola illa quæ cogitatione perficitur, quòd tota in cogitatione perduret, non sic tamen quin si quando in impræmeditaram vocem eruperit, non ex tantillo mentis esse desinat.

Variis tamen & multiplex est orandi mente modus: licet enim nihil sit quod non cogitando euoluere, & mente possimus agitare, non est tamen quidam cuius orationis generi æquè aptum, nec etiam quibus hominum ad idem orandi genus aut à natura, aut à gratia ducitur. Quare vt planè nihil sit quod auidam progressionis in virtutibus mentem effugiat, sed planè vnde cum que perfectionis quidpiam comparet: quatuor hîc describo exercendæ mentis genera, quæ in orationem desinant, vel sint oratio perfectissima, varièque, vt patebit, permisceri, & vtiliter exerceri queant.

Sunt autem quatuor hæc genera, Consideratio, Meditatio, Applicatio sensuum, & Contemplatio, quæ vel seorsim singula, vel vt plurimum mixtim vtiutanda sunt.

CAPVT II.

Quid sint Consideratio, Meditatio, Applicatio sensuum, & Contemplatio.

Cogitatio est mentis quædam agitatio, seu actus quidam quo humanus animus reuoluit aliquid quod ipsi venit obuiam. Est autem hæc duplex, nempe sacra, vel profana. Sacra cogitatio, profanam quippe rejicimus, ea est quæ sanctum aliquè affectum, vel intellectum inuoluit: vnde fit vt de re non sancta, possit

possit esse sancta cogitatio, vt quando peccati grauitatem, vel vt eam cognoscas, vel vt illud detesteris, expendis; similiter & rem sanctam, vt Deum, vel vt eum cognoscas, vel vt etiam ames, cogitare potes. atque hinc duplex sacrae cogitationis genus exoritur, Vnum quod ita exercetur, vt ad intellectum solum tunc referatur, & scrutantis modo sit; etiam si sit id exortum ex recto fine amandi Deum, eiq; obsequendi, & hoc scientiarum est: Alterum quod etiam ad effectum spectat. Præterea horum vtrumque vel est quasi præteruolans, vt quamplurima quæ de subito in animum incidunt, & protinus etiam desinunt, vt illæ quoque quas eiaculatorias vocamus orationes: vel diutiùs cum animaduersione insistitur, vt in longo vel Theologiæ studio, vel orandi conatu.

Iam verò ad rem nostram solæ illæ cogitationes faciunt quæ sunt ad affectum aliquem pium, & quibus inhaeretur. Sed hæ ipse rursus duobus modis contingunt: namque aut cogitatio in pium aliquem affectum vel desiderium simpliciter & purè fertur, aut quasi coram Deo versatur, siue vt sit desiderij cōpos, siue vt alicui bono piè acquiescat. Si simpliciter in illud bonum fertur quod non est Deus, est pia & sancta cogitatio, non autem oratio: erit verò oratio, si quasi coram Deo id ipsum cogitet, vt in omni oratione sit necessariò pius quidam mentis coram Deo versantis affectus; non quidem perpetuus, qui continuari semper debeat, sed quòd saltem quæcumque in oratione cogitantur, è pio quodam affectu exoriri debeant, in eumque desinere conueniat. quod si breuissimè fiat, existit ea quam adpirationem, vel eiaculatoriam orationem diximus: at si producat, tum ea est qua de agimus oratio: quæ cum in cogitatione & à cogitatione fiat, hinc docemur non esse nobis in vanos cogitatus liberè & effusè loluendum animum, & ad orationem fore perarile si consuescamus intentiùs paulatim diutiùsque mentis aciem in vno aliquo occupare: sic enim sensum assuefaciemus nos ipsos, vt in vniuersa sacrae rei tractatione diutiùs perseverare sine labore possimus.

Sed ex ijs quæ dicta sunt, iam constat quid sit ea quam hîc volumus oratio, nempe cogitatio sacra prolixior & contètiòr, qua ex pio aliquo affectu in quem tunc incumbit, mens nostra quasi sub oculis Dei sanctè occupatur. Atqui hoc ipsum duobus modis accidit: aut enim ratiocinando, aut intuenndo in id fertur quod propositum est. Hæc autem singula cum bifariam distinguantur, quatuor illa sunt quæ posuimus orationis genera. Etenim vel ita ratiocinamur, vt in boni & agendi inquisitione plurimum versemur, & est quam Considerationem appello: vel non adeò res agendas rimamur, sed affectui concitando plura damus, & hæc est Meditatio, quæ à Consideratione non admodum distat. Denique noster animus in res intuendas fertur, vel sic vt eas corporatorum sensuum ratione & modo simili reuoluat, tumque Applicationem sensuum esse dicimus, vel omni sensuum proportionè ac similitudine semota puro quodam quasi contactu id spectat quod sibi obrexit,

& hanc appellare solemus Contemplationem. Sed nunc singulas explicatum
camus.

C A P V T III.

De Consideratione.

*l. 2. de Con-
sid. c. 2.*

Consideratio, inquit S. Bernard. est intensa ad inuestigandum cogitatio, vel inten-
tio animi vestigantis verum. Quæ definitio vera fuerit, nostræque considera-
tioni conueniens, si modò intelligas, orationis esse quoddam genus, qua velis
getur, quid verè bonum aut malum, fugiendum aut sequendum: his enim feci-
mè te terminis consideratio continetur: & licet considerare possim, quibus potissi-
mè, sed est eò sine constituto considerare quæ potior via mihi sit eligenda. Vir-
de considerationis est proprium, vt solertiùs & pensculatiùs expendat, quæ
vnicuique rei possint subesse rationes, commoda, incommoda, consilia, euen-
tus, causæ, circumstantiæ, offensiones, gratulationes, facilitas, difficultas, peri-
cula, laus, vituperium, imbecillitas, firmitudo, duratio, persona, locus, tempus,
ocasio, & denique id quodcumque æstimatione prudenti ad iudicium ferend-
um conferre, & ad alia istiusmodi discernenda traduci potest.

Hinc aptissima considerationi sunt, præcepta, literæ & epistolæ, sententiæ
quarum in verbis pondus inest, consilia & deliberationes, leges seu regulæ, fi-
cta quædam obscuri & ancipitis exitus, dubitationes quoque quæ vel verè fue-
rint, vel fingantur, quæstiones etiam quibus in facta inquiratur, vt rectius
tum temporis, & quibus rationibus niteretur B. Patris Ignatij consilium, de non
ingredienda veteri, sed noua excitanda Religione. Denique sic expendenda
sunt malorum remedia, & cum alijs comparanda, præsentiora nec ne sint ceter-
is, & vnde id fiat: Præcepta, leges, regulæ, diuinæ & humanæ, perpendenda at-
tentiùs: in sua facta, cogitata, dicta, omiſſa inquirendum, nihilque sui non dif-
cillum præterire conuenit. His rebus frequenter & solerter exercita mens, mi-
rum quantum prudentiæ, discretionis, veræque spiritualis cognitionis acqui-
ret: & in se id consequetur, quod ab illa fieri his verbis docet S. Bernardus. Pri-
mum quidem ipsum fontem suum, id est mentem de qua oritur, purificat consideratio. De-
inde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordi-
nat. Postremò diuinarum pariter & humanarum verum scientiam confert. Hæc est quæ
confusa determinat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, ve-
rissima examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogit-
tat, vt nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est quæ in præ-
speris aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit: quorum alterum fortunatus, alterum
præ-

*l. 1. de Con-
sid. c. 7.*

erit. pra-

Prudentia est. Addit deinceps, hanc etiam esse, quod profectò ad virtutem est maximum, quæ complexum docet concentumque virtutum, quæ ut ex qua altera pendeat; quæ iteni voluptates inter & necessitates quasi arbitra sedet, his quod satis est præbens, illis quod nimis est adimens. Quæ laudes quamuis omnino permagna sinit, sunt tamen intra veri modum, dicique adeò potest, nullum in quoquam hominum tantum vniquam fuisse verè solideque bonum, & ad virtutem attinens, quod non à consideratione prognatum, aut certè si diuinitus infusum fuerit, ab eadem excultum, & plurimum sit exornatum.

Cùm autem in omni consideratione, id sit primum & potissimum, vt res quæ in disceprationem venit probè cognoscatur, eiusque partes omnes benè sint perspectæ: nec enim fieri potest, vt de re incognita certum & indubium iudicium ritè feratur; cuiusmodi rectè & probè considerationem volenti auspiciari, necesse est vt sedulus incumbat non tantùm in totius rei, sed etiam in singularum partium cognitionem: quare obseruet accuratè quæ dicemus vbi agetur de memoria, & intellectu.

C A P V T I V.

De Meditatione: quid sit, & quæ eius materia.

Meditationis nomen, non infrequenter tam amplo significato vsurpatur, vt idem sit quod seria aliqua, sæpiusque repetita cogitatio, estque ex vsu Latino, vt meditari carmen, orationem, insidias dicatur aliquis: vnde nihil mirum est si, cùm ad precationem significandam traducitur, nonnumquam etiam sic vsurpetur, vt omnia ea orandi precandique genera complectatur quæ mète constant & sola mète peraguntur: & nonnumquam occasione data sic loquor, cùm sit ea dicendi formula interdum accommodatior, facileque ex adiunctis intelligatur.

Cùm autem in isto vocis intellectu, Meditatio cogitationem significet contentiorem, ac fermè sollicitam aliquò pertingendi, inde fit, vt quoties de oratione mentis pressius agitur, eiusque variæ partes distinguuntur, meditationis nomen à contemplatione; & ceteris accommodatissimè seiungatur, eamque significet orationem quæ disserendo, & intellectus ratiocinationibus vtendo, commouendis & inflammandis pijs affectibus incumbit. Itaque, meditatione, boni primum malique, vtilis & damnosi natura clarescit, tum deinde rationum stimulis acrius instigata voluntas, ad exhorrescenda & præcauenda mala, bona verò consequenda profus inardescit, & vt ei desiderata obringant, nihil intentatum omittit.

Materia verò meditationi subiecta, esse potest id omne, vnde sensus aliquis pietatis, peccati odium, virtutis amor, Dei caritas, perfectionis desiderium incitatur.

Cùm

Cum autem plurimum ad omnem perfectionem inuitamenti sit ab exemplis Sanctorum, non parum probauerim si eorum vitam, & res gestas meditando quispiam sibi sumserit. Nouum id nonnemi videbitur, quare ut explanetur, exempla subinde apponam, inde sumta, ne in illis quæ de Christo Domino & B. Virgine passim exstant & tritissima sunt, semper hæreamus, tum saltem quando hominum magis propria sunt.

Video quid hæc obijciat nonnemo: Orationem illam quæ sola mente & cogitatione perficitur, rerum diuinarum contemplatione ac pertractatione efflorescere, quapropter hominis vitam, & res gestas, meditationis & orationis materiam minus aptè censeri, & ad summum intra vtilis historię limitem coarctandam, aut ad morum præcepta relegandam: sed longè aliter se res habet: non solum enim historię moribus instruendis oportunæ sunt; sed orationi etiam & meditationi quàm maximè congruunt. & id quod pro certo sumebatur, mentis oratione rerum diuinarum cogitatione constare, si de ijs solis intelligitur, omnino falsum est & improbable: id certe verum est, non esse verè & propriè mentis oratione eam, quæ nec in rebus diuinis versatur, nec ad diuinam confurgit, nec quasi in oculis Dei peragitur, nec ad Deum proposito fine contendit: posse tamen oratione esse, si modò horum aliquo decoretur, quantumuis re vilissimam nostre cogitationi obiecerimus. At neque illico seriam omnem de re aliqua cogitationem, orationem esse dicendum est: sed quando sit dignoscemus è dicendis.

2. 2. 9. 82.
n. 1.
l. 3. de fide
c. 24.

Ac primùm omnium animaduertendum est, orationis nomine in alio significato nos uti, quàm vel præci illi Latini, qui sermonem aut breuiorem aut prolixiorem intelligi volebant, vel etiam B. Thomas cum Theologis, qui orationem eam solam esse volunt, in qua peratur aliquid: at verò qui spirituales, ut vocantur, libros, Christianæque perfectionis mores docent, latius cum D. Damasceno, & Theologorum non paucis orationem id omne vocant, quod sit mentis in Deum ascensio, siue decentium ab eodem Deo petitio: fuit quæ is verbi intellectus eis necessarius, ut ne deesset nomen vnum, cuius ambitu omnis ea varietas, quam mentem in Deum conferimus, comprehendere posset. quamuis enim precum nomine uti potuissent, ipsum tamen precari magis petitionem sonat: at oratio, quam nihil rationi vicinius, ad mentem translata, omnè eius actum, & ad Deum motum, siue sola mente, seu etiam voce comite peragatur, per commodè significare potest. quare contemplationes illas, quæ nullo cuiusquam rei petenda desiderio in solis diuinis perfectionibus amandis & intuentis conquiescunt, & alius eiusmodi, orationis nomine complectimur: & hanc nostram spirituales aut contemplantium, is esse sensus solet. Hæc igitur oratio quæ se intra mentis arcana foras non prodians continet, est sacra quædam nostra mentis ad pios affectus concitandos occupatio, in rebus ijs quæ vel Deum spectant, vel in Deum referuntur, vel ad nostram vel proximorum nostrorum perfectionem, seu morum informationem, tamquam Dei ope & præsentis auxilio obringendam faciunt. Ex quo intel-

intelligas quæ de rebus creatis & vilissimis aut etiam pessimis cogitationes, oratio dici possint, & oratio præstantissima: quando scilicet ex ijs noster animus, ad res diuinas, aut saltem ad suam ipsius expurgationem, aut perfectionem, propter Deum & cum Deo excitatur.

Atque vt huius rei exemplum proferamus, vnicum, ex quo ad aliorum intelligentiam pertendamus: quid potest vel peccato fœdus effingi, vel quod sit à summa & omni mali experte Dei bonitate alienius! si tamen animum tuum quasi præsentem Deo statueris, omnemque illam quæ in peccato inest deformitatem, diligenter intuemdam, subtiliterque scrutandam sumpseris, vt cogitationis oculo in maiestatem offensi numinis frequenter retorto, quam acerrimè peccatum omne detesteris, vt eius constantissimè vitandi certa destinatione firmeris, vt omnes voluptatis illecebras & acutiùs peruideas, & declines cautiùs, vt diuinæ bonitatis, quæ ex tanta te pernicie liberare, quam digna pœna multare maluit, in exhaustam misericordiam amare, & laudibus efferre possis, vt denique plurimorum aliorum in Deum ex odio peccati & virtutis amore tendentium affectuum variam siluam excites; verò nemo est, qui è re fœdissima pulcherrimæ orationis formam desumptam negare possit. quamquam si leuiter hoc totum immutes, tibi que omnem illam peccati naturam, solum cognitionis causa perferutadā speculandam que sumas, neque vltra ad Dei opem, bonitatem, aut eiusmodi diuinum aliquid progrediaris, istam tuam cogitationem non orationis, sed non inutilis cogitationis & philosophicæ quasi perferutationis nomine dignabimur: id enim pro certo ponimus, orationem esse non posse, vbi nulla in Deum fuerit nostræ mentis ascensio.

Iam verò cum ex ipso peccato, quo nihil est aduersus Deo, orationem constari posse dixerim, superuacaneum meritò videri possit, si nihil in vniuersa rerum machina esse ex quo oratio fieri non possit, demonstrare coner. si enim id vnum quod à Deo non est, summeque repugnat Deo, ita variè & multiformiter versare possumus, vt perfecta orationis forma suborneretur, quanto magis ex alijs rebus omnibus quæ à Deo sunt, & natura sua bonæ sunt, & aptè conuenienterque procreatæ, poterit sibi orationis materiam mens nostra seligere?

Est autem eiusce rei hæc causa, quòd summus & optimus Deus, non tantum rerum omnium profeminator est & auctor, conseruator, moderator & gubernator, sed finis etiam vltimus, summum bonum, in quem omnia, ex quo omnia, per quem sunt omnia: vnde efficitur vt planè nihil sit, ex cuius vel procreatione, vel conseruatione, vel vsu, vel gubernatione, non possimus ad vnum Dei ista perficientis continentisque amorem, admirationem, cognitionem atque cultum variè ferri; quin etiam inuestigare num ex eo quod nostræ menti obijcitur, viam aliquam reperire possimus, qua vel clariùs nobis Deus illucescat, vel obtineatur certius, vel deperdi minùs possit, vel id omne longius euitari quod abs

Psal. 91.
Psal. 103.
Psal. 102.

ultimo nos & optimo fine abalienaret. quæ & longè plura contemplatus quidam exclamabat, *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Cumque vndique à Deo perpetua quadam lucis, aëris, rerum iucundarum & necessariarum affluentia, quasi amicis boni parentis muneribus, se videt vbiq; circumdatum, admiratur ut sanctus, & cum eodem exclamat, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear: producit fanum iumentis, & herbam sedituti hominum: educit panem de terra, & vino letificat cor hominis.* quid eobenignius cogitari potest? id quoque prouidet ut imbribus saturentur ligu campi & cedri Libani quas plantauit: omnia denique ab illo expectant ut det illis escam tempore: sit gloria Domini in seculum: letabitur Dominus in operibus suis: propter hoc letatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spectatulo Domini in vita mea, iucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino. His pascuntur cogitationibus viri sancti, his affectibus animum ab infimis ad superna conuertunt.

Psal. 15.
Psal. 102.

Psal. 15.

Psal. 103.

Neque verò nunc id ago, ut præclarissimæ utilissimæque huius exercitationis partes exequar, sed ut ex his apertum & in confesso relinquam, à Sanctorum gestis materiam orationis peti posse. addam etiam debere: si enim & ingratus & excors ille fuerit, qui vel nolit, vel non possit, ex his procreatis, & infimis bonis quæ sunt in commune omnibus expolita, vnum summum bonorum omnium procreatorem largitoremque Deum honore & amore prosequi: nonne eum, si quis tamen eiusmodi reperiri poterit, summam humanæ naturæ dignationem inuidisse dicemus, qui è Sanctorum dictis atque gestis virtutis perfectiùs consequendæ, diuini que numinis sanctiùs colendi desideria non sentiat? cum etenim è creaturarum reliquis, ad Deum non sit ascensio, nisi eatenus, qua perfectionum diuinarum, ut sapientiæ, bonitatis, ordinis, delectabilitatis, pulchritudinis, efficientiæ, varietatis, vnitatis, aliarumque plurimarum aliquam, aliquam saltem, participant: nihilque sit præclarius in reliquis, quod non homini concessum reperitur, cum in se habeat quiddam in animantibus, quiddam in ceteris rebus est optimum; profectò ex homine ad Deum, longè apriùs quam ex vlla alia nostris oculis subiecta natura transmittemus. Id verò in ijs maxime qui suos animos omni virtutum genere ornarunt. Hi sunt felices illæ animæ, certissima diuinitatis specula, quibus clarissimè irradians Deus tantorum exemplorum fulgore se prodit, & ad interminam lucem, lucis minoris emulacione nos inuitat. hi sunt qui quanto celsiori loco spes omnes tuas collocatas habent, tantò ceteros omnes, Duces, Principes, Imperatores, qui curuas in terram animas gerunt, post se longo interuallo relinquunt. hi denique quorum vi-

dicat quidam) cum sit conuersatio in caelis, ijs dignus non est mundus, qui iam in similitudinem & in sortem filiorum Dei, vel certa spe vel amica S. Spiritus in habitatione transuerunt.

Quare cum rerum earum, quas intuitu cernimus, nulla sit homine perfectior, adeoque nulla sit ex qua aptius in Deum transcendatur, cum in ipso homine nihil sit ratione & intelligentia praestantius, ipsaeque melius perfici non valeant, quam sanctitate, donisque diuinis; restat vt fateamur nullam expressiorem Dei imaginem nobis expositam esse posse, quam ea sit, quae tota diuinæ sanctitatis quasi communione adornata, se supra res infimas erigit, Dei que similitudine existit: huiusmodi autem est viri sancti animus, cuius cum omnia desideria, conatus & actus non solum vnum Deum spirent, sed à Deo etiam inspicientur, gubernentur, & quodammodo informentur: non est vbi euidentius Dei sapientiam, consilia, bonitatem, accessus & recessus, iudicia & misericordiam, & alia plurima arcana diuina contemplari possimus: mentis quoque ad superna conscendentis profectus & defectus, mutationes & alternationes, totamque planè viam quam ad perfecta contendens terere debet, tum demum ad liquidum agnoscimus cum in decursu vitae sanctae ea omnia nobis delineata, continuaque rerum serie quasi digito commonstrata cernimus, & orationi ac meditationi copiosam segetem suggerunt.

Neque verò ab his rationibus admodum discrepat ea quam sequimur in vita Christi Domini rebusque ab eo gestis meditandis methodus, nisi quòd tum persona qua de agitur Deus ipse est: propius accedunt qui beatissimae matris & virginis vitam & gloriam, meditatione reuoluendam descripserunt. Sed haec dicta sufficiant, non solum vt Sanctorum gesta & vitam, orationi materiam suppeditare posse demonstramus, sed etiam vt in eundem orationi & ijs quae dicenda sunt viam aperiamus.

C A P V T V.

Quibus praceptionibus meditatio dirigi possit?

Quando ad aeternam gloriam tantum habet momenti, & res est adeò sacra, meditatio, nemini dubium esse potest, quin ad eius perfectionem consequendam, non arte, vel praecipis, vel ingenij industria, sed diuinæ gratiae auxilio sit & liberalitate nitendum. Et verò cum haec oratio ingressus & accessus proximos ad Deum praebet, ipse verò à superbis longius abscedat, cum simplicibus autem ^{Prou. 3.} fermocinatio eius, non raro euenire cernimus, vt in meditandi peritia, doctioribus rudiores non mediocriter antecellant. nempe abscondit à sapientibus & prudentibus, quod paruulis, & sola diuina ope fretis reuelat Deus. Itaque hoc primum,

Zz 2

hoc

hoc potissimum, & ante omnia persuasissimum sit, à Dei gratia expectanda omnia, vanumque nobis fore, & in irritum casurum, si ante lucem eius surgentes nos ad opus accinxerimus; at verò si in animos nostros vel tenuis radius diuinae benignitate diluxerit, tum demum si nos illi magno conatu adiunxerimus, ad sancta, æterna, diuina, magna facilitate rapiemur. Vt autem liberalissimus est Deus, vltroque non vocatus adest, ac oblati gratijs allicit & inuitat: profectò nobis deesse non poterit, si quod nostrum est, humiliter diligenterque præstiterimus. Cum verò ad opellam nostram, suam benignus gratiam adiunxerit, leniterque adspirans, nos longius prouexerit: intentissima circumspicione vitandum, ne ob laborem nostrum, aut aliam quamuis diligentiam, vllam in nos laudis partem deriuare, vel in re benè transacta quidquam nobis arrogare aulimus: est enim hic superbix cogitatus, hæc sui ipsius adulatio vanissima, est inquit veræ virtuti præfens venenum, & diuinis donis obex impenetrabilis. Ijs autem si opulentiari cupis, quidquid demum tibi datum fuerit, gratis, & nullo tuo merito tibi datum autuma; dum adest datum, gratias ex animo age, benè vtere, neque perpetuum putes; si adimitur, iudicij Dei acquiesce, moderatè contende vt recuperes, memor tamè à dextris & à sinistris, per bonam famam & infamiam, in esurie & in abundantia, in secundis & aduersis, tibi semper esse Dei causa ad perfectionis celsiora tendendum.

Quæ cum ita sint, cauendum tamen, ne, dum animum in hoc intendimus vt Deo totus fidat, & sibi penitus diffidat, in ignauiam socordiamque soluamur, & à Dei præscriptis aberremus. nec enim sic nostra est despicienda opera, vt etiam non adhibenda sit: sed sic demissè obedienterque labor noster Deo exhibendus est, vt agnoscamus quàm in labore nostro nihil momenti positum est, illudque ipsum videns Deus, nostri miseratione tangatur, & ad ea nos prouehat, ad quæ nullus noster quantuscumque, & quantumcumque diurnus labor adspirare possit. Dum tamen ita laboramus, & nihil verè dignum tanta mercede peragimus, est labor ille, si in vera demissione perstamus, nostræ imbecillitatis & indigentix, agnitio simul & professio, cum ardentissima diuinæ opis imploratione coniuncta: quæ profectò à diuina bonitate numquam repulsam feret. Quid enim? si amantissimum filium ad rerum præclarissimarum consecutionem, magna animi alacritate, conatu permagno adspirare videat parens, sudores tamen eius omnes in cassum fundi, imò verò timendum ne debilitatum interceptans hostis interimat: quis dubitet quin honestissimus filij labor, optimæ in deo indolis, paterna quasi suo iure subsidia exoret? non secùs si nos videat summus parens Deus nitentes, molientes, anhelantes, vt meditandi orandi que fatigati teneamus, pusionum labores non ridebit, interueniet, vimque suam nostræ debilitati, lucem tenebris, sapientiam ignorantix leniter insinuans, longè, quàm sperabamus, plura & maiora donabit.

Præterea is est diuinæ prouidentix ordo sapientissimus atque iustissimus, vt
qui

qui in minimo infidelis est, ei maxima non credatur, hoc est, qui in eo quod suū est & à se requiritur, manum operi non admouet, huic velut otioso & vecordi, maiora gratiæ dona non addantur, & cui aliqua gratiæ dona sunt data, is eis ad laborare ad conseruationem debeat & augmentum, multumque omnino diligentia, multum conatus, naturæ obseruatio, ordo, methodus, & accuratio præceptionum facit: quippe quæ casu, temerè, neglectè, vel quasi fortuitò fiūt, proculdubio ni accedat aliud, longè minùs perfectæ, minùsque Deo grata sunt, quàm quæ ratione, prudenter, diligenter, destinatoque fiunt. quapropter vt gratiora & perfectiora sunt hæc, ita vel impetrande, vel conseruandæ, atque augendæ diuinæ liberalitati sunt longè aptiora.

Hoc est ergo in meditatione spectandum, vt, quoniam mentis operationem esse diximus, mente & ratione dirigatur. Nihil autem rationi conuenientius est, quàm vt in agendo caueatur temeritas, præsentia animi seruetur, sine certo sibi præfixo, quem ita in omnibus diligenter quæras, vt inuentum stabilias, nec tibi sinas eripi: quapropter si hæc tria de meditatione dixero, nempe quomodo ad eam accedatur, ad finem dirigatur, & in eo confirmetur, satisfecisse me argumento istius credam.

CAPVT VI.

De temeritate in meditationis accessu cauenda.

TRitissimum illud & per omnium ora volitans, sed pernecessarium est sancti Spiritus monitum: *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Enimvero nonne regiæ maiestatis parcus æstimator & iram meriti putabitur, egenus, sordidulus & rusticus, qui de rebus maximis & intricatissimis apud regem acturus, planè impræmeditatus veniet? tum verò si post pauca & balbutientia verba obmutescat, quis non illum à conspectu regis indignatione iustissima repellendum iudicet? tu verò carni & sanguini immerfam gerens mentem, qui æterna & ab omni materiæ contagione semora, coniectando & suspicando vix attingis, cuius indignissimæ vilitati vt in conspectum tæte maiestatis veniat, nullus vniquã satis esse possit apparatus, tu mihi ex abrupto, extemporaneus, ad Deum audacter irrumpas? cuius id oris, cuius frõtis fuerit? Cerrè D. Bernard. *serm. 26. de diuersis.* hanc ariditatis & hebetudinis mentis causam reddit, quòd minore reuerentia & sollicitudine ad orationem accedamus; eiq; morbo his verbis medicinam facit; *Quid aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quàm propheticum illud: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei: Omnino siquidè oportet nos orationis tempore curiam intrare caelestem, illam vti que curiam, in qua rex regum stellato sedet solio, circumdãte innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu.* Vnde & ipse qui vide-

Dan. 7.

rat, quia maiorē numerum non inuenit, Millia, ait, millium ministrabat ei, & decies mille centena millia assidebant ei. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta humilitate accedere debet, à palude sua procedens & repens ranuncula vilis? Quàm tremendum, quàm supplex, quàm denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo maiestati gloriae, in praesentia angelorum, in concilio iustorum & congregatione, assistere poterit miser homuncio! Et mox paucis interiectis ita concludit: Sic igitur oret qui orat, tamquam assumptus, & praesentatus ei qui sedet super excelsum thronum in Angelis qui minime ceciderunt, & eleuatum in hominibus, quos suscitauit de puluere inopes, & erexit de stercore pauperes: sic inquam, semetipsum consideret, & sic attendat, tamquam praesentatum Domini maiestatis, vt dicat cum Abraham, Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.

Gen. 18.

quia tuo praecepto communitus, tua institutione formatus, id praesumo, Domine, fons pietatis. Benè sanè Bernarde, qui sanctae tuae deuotionis liquorem & ex illo fonte pietatis hauris, haustumque propinas: bibamus vtinam, atque intimas animi nostrae venas & sensa, demissus ille diuini numinis cultus & reuerentia in fideat.

Et verò in illis quae de Sanctorum gestis in statuuntur meditationibus & orationibus, non est vel tantillum à doctrina Sancti recedendum: suo enim loco docebimus, quomodo semper in eis coram Deo sit adstandum; id autem videtur addendum, vt praeter maiestatis diuinæ praesentiam, illi adiungamus eum de quo agitur Sanctum, in inferiore aliquo, sed tamē fulgentissimo throno coruscantem, gloria & multiplici honore circumdatum: non secus atque interdum hac in vita, si rege aliquo magnificè confidente, vnus aliquis è principum primoribus, in inferiore quidem subfello, sed tamen à ceteris segregato & honoratiore resideret, per hunc autem ad regem pateret accessus.

Ad haec quotiescumque res eas aggredimur, vnde fortunas, honorem, salutem nostram, aut nostrorum & reipublicae perdere existimamus, nec labori parcimus nec vigilijs, anxias de illarum tractatione & exitu curas gerimus, omnes animi & industriae nervos intendimus, si qua tandem feliciter & certius pro voto possint cedere. Videlicet rei grauitas, & inuoluta euoluendi cupiditas eò nos trahit. Si igitur hac eadem animi persuasione, ad orationem semper accesserimus, perfacile temeritatem omnem praecipitationemque fugiemus: esse autem ad humanos omnes casus maximi momenti orationem, nemo diffitetur, prolixumque foret si ad eius necessitatem, vtilitatem, dignitatem explanandam accederem. Vno id verbo satis sit, orationem, eam esse quae à nobis mala omnia possit auertere, bona verò impetrare, exornare, augere, atque in aeternum vsque conseruare, facereque, vt in terris vitam viuamus angelicam. quare cum de oratione fundenda cogitamus, credamus nos rem eam aggredi, qua maior nulla est, aut ad salutem nostram propius attinens, nobisque diem illum, fortassis extremum, horamque felicem diluxisse, qua nobis liceat in summi, oprimi atque amantissimi creatoris & redemptoris nostri amplexus rueri, osculis perfrui, auditu delectari, sapientiae fulgoribus illustrari: quod sanè si, vt est, ita feridè ipsi nobis obiecerimus, mira

quae

quædam in nostris animis, & cum sollicitudine curaque coniuncta innasceretur ad orationem alacritas.

His etiam consentaneum est, vt quando tanta vis, tanta dignitas est orationis, ac per eam diuinæ maiestatis throno sistimur, animum nostrum ante orationem omni vitio, omni que cupiditatis affectu expurgemus, omnem etiam perturbationem componamus; nec enim eiusmodi vlla fuligine afflatis, ad candorem lucis æternæ decet accedere: ponendæ etiam sunt rerum aliarum omnium, licet bonarum & ex officio agendarum, curæ omnes, & quidquid est anxium. nec enim vel in spiritu, vel in commotione, vel in igne, sed in spiritu tenuis auræ ^{3 Reg. 19.} Dominus, ei que acceptissimum est, si cum ad eum accedimus, accedamus mente penitus omni desiderio exuta, totamque se in eius arbitrium transfundente, cum solum ambiente & præter eum omnia despectante: *Quid enim mihi est in calo, & a* ^{Psal. 72.} *te quid volui super terram: Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi adherere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam, dicebaris cuius fortitudo, auxilium, & spes tota, solus erat Deus. Certè si toti & perfectè ab illo solo penderemus, si nusquam aliò respectaremus improvidi, optimeque de ipsius liberalitate sentientes, nos vt lutum figulo, sic ipsi fingendos, refingendos, vtcumque libèret, non subtimidè, neque fictè, sed fidenter & iucèrè traderemus, o quàm mirabiles diuinæ ipsius largitatis experitemur effectus! nunc autem dum reculis nostris nimium tangimur, nimium angimur, dum timidæ & incertæ nostræ providentiæ fidimus, dum cupiditate variorum ambitiosa, plura quàm imbecilla mens ferat amplectimur; hæremus in extremis, & minutula nescio quæ consecrantes, orationis, qua nihil diuinius est, præstantiam degustare non possumus.*

Quin etiam præter ea quæ dicta sunt, ad temeritatem vitandam facit, si eam meditationi nostræ materiam seligimus, eumque nobis limitem ponimus, qui virium nostrarum modulum non excedat: quare ingenij sui modum, vitæque rationes nosse quisque debet, itemque quo maximè orationis genere vtiliter occupari possit, nec faciliè, nisi paulatim, & ex consilio, maiorisque progressus causa, longius audeat progredi. Sin autem libris opus est, eis vtatur, qui maximè ad naturam accommodatè, ordinatè dilucideque præcipiunt: quòd si ampullatos, grandia sonantes, & abs vsu peruulgato recedentes elegerit, experietur parum ex illis demeti, incertos fluctuare, in speciem blandientes non ita multum in recessu continere, & quamuis non vsquequaquere ieiandos, magno tamen esse iudicio reuoluendos, & non à quouis. Certè idiam multa abundè superant, & tota B. Patris nostri vita factis edocet, quàm fuerit humilium, communiu & minime dubioium amator, eorum verò quæ his, vel sunt, vel videntur esse contraria, contemptor & auersator. Verùm id sit obiter dictum ne quis altum sapiat, & supra captum audeat. Quæ verò in singulis præstantia sint, dicam sub finem prolegomenon.

CAPVT VII.

De animi presentia & sine praefigendo.

PRaefentiam animi illa quam dixi sollicitudo, & adstantis Dei reuerentia proculdubio parient: praeter eas tamē, vis etiam volatica instabilitate, huc illuc per diuersa, cogitatione rapiatur. Quam in rem id vnum (plura enim huic loco minus conuenirent) dixisse sufficiat, Si cupiditatibus & desiderijs nostris modum fecerimus, si amore nimio rebus agendis non adhaerimus, si ad rerum euentus anxie non respectauerimus, conscientiaque & Deo solo teste contenti, quidquid in terris est despexerimus, amoremque totum a fugitiuis ad aeterna, a creatis ad increata transfulerimus, penitusque sola & inexplebili perfectionis auditate succendimur, non facile fuerit vt eiusmodi noster animus abs incepta operatione dilabatur: nec enim potest fieri vt quisquam repudiatis ijs quibus plurimum delectatur, vtiliaque sunt, & in primis honesta, ea amplectatur quae exhorret, damnosa, iniucunda, suntque cum adamata virtutis honestate pugnantia. Imò verò is animus qui sic totus fuerit desiderio, & caelestium expectatione suspensus, ab oratione ad alias res factitandas non sine gemitu recedet, pretiosissimi temporis partem plurimam, in rebus vilissimis male perditam suspirabit, nec operam suam aliò quam ex obedientiae vel caritatis praescripto nauandam collocari sinet; vbi autem vel paululum respirare licuerit, tum verò in orationis adamatae sinum refugiet, ibique quasi ex graui iactatione placidissime conquiescet, diuinæ se contemplationi immergens.

Praesentis etiam animi est, numquam sic abripi affectu, quin praesentis rationis ductum sequatur, itaque non tantum ad aliena non diffluit, sed in proprijs etiam cauet ne quid nimis, nouitque è vtijs id seligere, quod est optimum, respicere quod blandum at parum vtile, amplecti quod securum & perfectum, obseruare quod accommodatius est & efficacius. Est quoque id summæ rationis vt omnino diuino ductui obsequatur, eumque non violentum, abruptum, indecorum, sed lenem, consideratum, placidum, decorum, dilucidum, pacatum, & per omnia rationi rectæ perfectionique consentientem credat, de quo alio loco plura differui: huic autem in oratione maxime intentos esse nos oportet, tunc enim potissime, voluntatis suæ sensum, hominibus immittere solet Deus: imò verò totam ipsam orationem, aliud nihil esse expediret, quam diuinarum ad nos allocutionum perpetuam quamdam, & cum humilitate attentam auscultationem, vt cogitationes, inductiones, argumenta, affectus, desideria quæ
ors

orationis tempore accidunt, non vt sponte quaesita, vel industriè inuenta, sed habeantur vt à Deo profecta, & quasi quidam lucis radij, in cor nostrum, à diuinæ sapientiæ inexhausta claritate demissi.

Hos vt certius excipere, diutissimè conseruare possimus, certus quidam meditationi nostræ finis est destinandus, in quem omnia, ex quo iudicentur omnia: nam quæ vno fine non coërentur, latius in incertum vagari solent, ideoque nec memoria, nec animaduersione facilè comprehenduntur & conseruantur.

Meditationi autem, vel vnus, vel multiplex, potest præscribi scopus, pro varietate suscepti argumenti. Multiplex est, quando duo vel tria (vix enim primaria plura admiserim) diuersa spectat, vt si primum membrum humilitati, alterum castitati, tertium paupertati incitandæ inseruiat. Fit quoque vt alia quadam ratione, licet vnus dicatur, sit tamen multiplex, quando scilicet rem aliquam pluribus & varijs partibus constantem, ita meditationi tuæ proponis, vt quidquid in ea cogitandum occurrerit, obseruare velis, indeque prout res tulerit pietatis aliquid vtilitatisve decerpere: vt quando de Annunciatione, vel Natiuitate Domini meditareris. Huc etiam spectat sententiæ alicuius, præcepti, epistolæ, consilij ad imitandum suscepta meditatio: quales etiam vtraque libri parte reperies non paucas.

Vbi autem id genus orationis exercetur, id meditatione pura fieri minime existimem, sed esse vel contemplatione, vel alijs etiam orandi modis mistum: quod equidem commodissimè fit.

Tum verò etiam animaduertendum est, vtrum fines illi singulares, & multiplices vno certo aliquo genere continentur, v.g. timoris, amoris, fiduciæ, prudentiæ, obedientiæ, & in hoc vnum partes omnes referri velimus, etiam si hæ singulæ peculiarem aliquam & spectandam rationem habeant. An autem nihil aliud sit nobis propositum, quàm vt in eo facto, quod tractandum suscepimus, argumento, piè sancteque versemur: etenim hoc postremo modo, ijs quos nobis proposuerimus meditandi articulis, tam diu pijs affectibus & cogitationibus adherere possumus, quam diu vel noui sensus affluunt, vel iisdem gratè iucundeque perseuerant. At si varietas illa singulorum ad vnum genus tendit, videndum ne exspatietur extra, sed intra fines positos cohibeatur, timoriquè seruans, ne vel amorem, vel alia quæuis in exploratò occurrentia consequatur.

Iam verò vt sit finis vnicus, duobus modis accidit: primò sic vt tota meditatio in rem vnam propendeat, nec tamen in meditationis membris vnum ab alio pendeat: veluti si de humilitate meditaris, primò Christi, secundò Sanctorum, tertioque rationes ad amandam humilitatis expendis. In his verò nihil vetat quin singulis membris quam diu visum fuerit mens immoretur, ac etiam, si fors tulerit, in vno solo, sine transcurso perseueret.

Aliter accedit ut vnus finis præfigatur, ad quem sensim ita per singulos quasi gradus accedatur, ut non nisi singula decurrendo possit in extremo attingi, illaque quæ præponuntur, nihil aliud quam instar viæ habeant: quales omnino per pauca reperiuntur, ideoque forsitan minus hoc obseruatum est. Vno tamen verbo, eam explico: eiusmodi est meditatio à B. Patre scripta, quam fundamentum vocat: cuius finis est, animi ad res quasuis creatas, non præceptas, aut veritas, & quosuis euentus indifferentia: ad hanc excitandam primò adhibet finis ad quem creatus est homo considerationem, deinde cur hominum creaturæ data sint, nempe ad eius bonum, & in eundem finem, ad quem terminen per se neque conferre neque obesse possunt: vnde consequens omnino est ut planè nec oderimus, nec amauerimus eas, ni quid aliud interueniat, quod est indifferentem esse, paratumque rationi iubenti obsequi vbi repudiandas, vbi persequendas eas docuerit. Eiusdem modi sunt, quas contemplationem de rege terreno, de vexillis, de tribus classibus inscripsit: assimilataque est quæ de peccatis propriis, & (si in meditationum numerum referendi sunt) de gradibus tribus humilitatis.

In his verò cauendum (quamdiu quidem eandem obseruamus methodum) ne deartuetur argumentum, & parti vni vel separatiim vel etiam diuturnius adhærescatur, ut si quis aut de creatione hominis, aut de præstantia finis ad quem creatus est, multa contemplari in primo ingressu voluerit: sed constanter seruandum est, ut cum istud tantummodo sit instar propositionis in syllogismo, probè quidem intelligatur, at non tantum temporis vel conatus adhibeatur, ut vel hora labente, vel fatigatione animi succedente, lentius aut etiam omnino ad assumptionem, ad conclusionem non accedatur: & hæc tamen erat perisissima pars, in hac erat sita victoria, ad hanc quodcumque non pertingebat iaculum, irritum cadebat. Diligenter igitur & prudenter hinc obseruandum, ut in aliquo intermedio gratior affectus occurrerit, ne nimis blandiatur, nosque suauitate sui allectos tenacius illiget; ergo leniter inde desistendum est, & ad finem propositum pergendum, ne in eorum imprudentem errorem impingamus, qui delectatione viæ capti, loci ad quem tendunt sensim obliuiscuntur, subsistunt, hærent, vixque post longiores moras ad se redeunt, quò vel quò pergendum sit ignorant: sic profectò, permolestis anfractibus circumerrant, vixque hiltum omni in re, omni que in arte promouent, qui nullo sibi certo fine præstituto, propemodum vagantur in incertum.

CAPVT VIII.

Quomodo ad finem obtinendum memoria sit utendum.

Memoriae nomine hinc intelligo animi vim illam qua sibi res tamquam praesentes effingit, effictas intuetur; estque menti quod oculus corpori, verum tanto praestantiore vi praedita, quo non praesentia tantum, sed & praeterita, imò verò futura, atque etiam quaecumque fictè vel probabiliter euenire possent subiicit contuenda. sic enim Turcicam seruitutem, lapsum in peccata, aeternam damnationem in me irruisse, inpatibilesque cruciatus quasi praesentissimos, quodammodo possum perentiscere: vnde quanta sit eius, ad reliquos mentis actus, vis & efficacia, ex oculorum ad animum permouendum potentia non obscure potest conici: etenim quae fideliter subiiciuntur oculis, non aliunde animum potentissimè incendunt, quam quòd aptissimè & rerum naturis couenientissimè cogitationem subintrant; omninoque tantundem permouerent, si semoto externo sensu aequè ad viuum effingerentur interius. cuius rei verissima, certà ex hominibus illis coniecturam ducimus, qui Panicis terroribus, vel fanaticis visis abducti, immanè quantum audent, & ea furentes perficiunt quorum ad cogitationem sani perhorrescerent, nec tamè eos aliquid agit aliud, quam terrificae quaedam species vehementer impressa menti: quare si viuas, si efficaces, si praesentaneas animo nostro imagines honesti immiserimus, valebunt illae ad virtutem honestatemque quamplurimum. est igitur nobis magna omnino memoria, vt primi, maximèque ad cetera valentis fundamenti, ratio habenda.

Duo verò cum sint rerum meditando genera, vnum historicum quod rerum gestarum, & gerendarum varietatem complectitur, alterum non historicum, vt praecceptorum, peccatorum, virtutum, perfectionis humanae vel diuinae: in horum utroque memoria suo munere fungitur.

Et quidem cum aliquid non historicum, v. g. crucem compendiosissimam esse ad perfectionem viam, meditatione tractandum suscipimus; memoriae est, illud ipsum animo ritè obuiere. quod praestatur optimè, cum singulas partes probe dilucideque conspiciamus, crucem, perfectionem, viam, tum earum connexionem quam sit apta, & denique ex illis omnibus vnum aliquod est constandum, quod mente spectetur.

Hoc verò vt optimè fiat curandū est vt potius rebus intuentis, quam percurrēdis nominibus assuescamus: cumque id permagni referat, dilucidius dicendū, & quod perfamiliares est, loquentiū exemplū adhibendum: horum enim nonnulli sunt qui dum latinè loqui se putant, verbaque Latina proferunt, vulgata popularisque suae linguae dictiones sibi obiciunt, eaque de verbo propè ad verbum transferunt, laboriosa sanè parumque; vtili assuetudine dicēdi; nonnulli verò, infantiam eam

prætergressi, sola sibi sui animi sensa obijciunt, & ad eorum explicationem commodam, sermonis Latini varietatem flectunt, elucetq; in his longè alia, & quæ nativæ sit venustas. In eundem fermè modum videas aliquos, & nescio an non longè plurimos, qui seu loquendo seu cogitando, percurrendis & quasi stricim obiterque recensendis nominibus insuescunt, non sic quidem quin eorum significatus intelligant, at in extremis, & quasi superficie soni hærentes, ad res ipsas intimius non penetrant: tria, quatuor, & plura spectatorum millia conclamant, qui fortasse nunquam quoties vno in millenario vnitas continetur, expressim singulatimque cogitarunt. similitudinem habet hæc locutio cum ea ceteri incitataque lectione, qua percurruntur velocissimo oculorum coniectu, ea quæ descripta, & sæpius sunt legendo repetita, in quibus ex consuetudine facilitas, è facilitate neglectus attentionis exoritur, nisi defectus hic sedula & perurgili cura corrigatur, quod in Officij diuini, & sacrosanctæ Missæ lectione faciendum est. At verò longè aliter afficit ille sermo qui sensatus est, quando scilicet simul, quidam quasi radius mentis, in rem significatam immittitur, verbisque non adhærens, in notiones ipsas penitius introspicit: quod ipsum tanto perfectius fit, quo augustiorem, & latius in varia sibi quasi coram expansa diffundere se valentem, & plura simul amplectentem mentis intuitum nacti fuimus. quod ut possimus, plurimum quidem à Deo & natura, sed non parum pendet ab industria.

Vis ergo nobis inferenda, & intro euocata mente in res ipsas eundem est, amandumq; quæ vis, quæ varietas, quæ partes nomini alicui subsint, ita quando dicimus, B. Virginem è Nazaret in Betleem iuisse, non est, vt vno verbo, sic vno cogitatu, tota illa via transuolanda, sed vt paulatim percurta est, ita sensim animo lustrandæ sunt partes singulæ, qui montes, valles, riuus, lutosa & serena via, pluuium & sudum cælum, viatores benigni aut asperi, hospitiorum incòmoda, cogitationes animo obuersantes, aduentus, & in ignota vrbe percurfatio; aliæque per plura. Sic in exemplo posito cum dicimus crucem compendiosissimam ad perfectionem viam; illo in crucis nomine, subiiciendum est oculis mentis omne id genus afflictationis quod ad crucem spectat, lateque contuendæ contumeliæ, asperitates, diri cruciatus, morbi, ignominia, mors acerba, & quidquid plurimum perhorrescimus: nomine verò perfectionis, excitabimur ad contemplandam mirabilem absolutissimæ honestatis amabilitatem, alicuius animo insidentem, quæ sui pulcritudine ad se amandam etiam summæ maiestatis Deum allicit; maximè verò sit in omnium remotione vitiorum, maximarumque aggregatione virtutum, quibus sit vt vir perfectus, omni cupiditate liber, maxima tranquillitate perfruatur, sensibus corporis imperitet, nihil in actione, nihil in cogitationem admittat nisi cum summa ratione consentiens, eiusque placidissimam mentem insidente Spiritu sancto, ex ipso oculorum coniectu, oris & vultus habitu, sermone omni & motu, sanctum quiddam & venerabile

rabile erumpat. Cùm autem tantum id sit bonum, vt nihil ei æquari debeat, nihil quo comparari possit negligi, profectò viam eam qua compendiosissimè acquiratur, in primis eligendam diligendamque concludam. at verò quid fuerit esse compendiosam? hinc longas, arduas, diuersissimas Sanctorum plurimorum vias obijcere cogitari possum: cruce[m] verò (quod erit ab intellectu & iudicio depromptum) ideo breuiorem quòd efficacius cupiditarum fibras recidat, copiosior[em] gratiam à Deo impetret, &c. Sic igitur primò peniculatorius hærendum ad singula, subiiciendaque mentis oculis tota quam late patet lingulorum verborum notio, vt crux, perfectio, via, compendiosam esse, tum deinde ex his vna est complexio, non tam verborum quam rerum, animo conuoluenda. Idem in ceteris omnibus obseruatum, & frequentatum longè aliter afficiet, estque ad id enitendum. itaque quoties vel voce orationem fundimus, vel eas quæ dicuntur ejaculatoriæ vsurpamus, huic nos modo conformare esset perutile. v.g. si quando dixero, *Deus meus, amor meus! tibi me totum consecro, paupertatem, castitatem, obedientiam voueo;* non sunt ista percurrenda, sed cùm dico, *Deus,* animo meo infinitæ perfectionis naturam immensam complector; *meus,* verò, illam ipsam mihi bene velle & inesse, & finem esse obijcit, dum dico *me totum,* reijcio quidquid in me vel minimum ei aduersaretur, facultates animi, sensus, & mea singula percurro & consecro, quasi sacratum, nec amplius meum & profanum putando; similiter *paupertatem,* exspoliationem omnium cum penuria coniunctam, *castitatem,* voluptatum omnium excidionem, sensuumque refectionem perfectam, *obedientiam* denique contemplanor vt demissionis submissionisque professionem, voluntatis & iudicij abdicationem, quam ita subiuerim vt abs illa in posterum resilire sit nefas. En, quantum istud est, quando sic cogitas! quid enim aliud est quam omnia penitus reddidere Deo quæ tibi extra se dedit? dedit mandum, eum totum paupertate reddis; dedit corpus, & illud ipsum castitate illi dedicas; dedit animum, & ecce voluntatem ac iudicium, eius obedientiæ subiugas.

Hoc autem ex B. Patris est doctrina depromptum, qui in eam videtur nos voluisse consuetudinem ducere, dum docuit, eum esse nonnumquam orationis modum exercendum, vt ad singulas significantes dictiones meditationis *figamus pedem, quamdiu circa eas varia nobis significationes, similitudines, spirituales gressus & alia commotiones deuota incident.* Ita quidem primùm præcipit, estque ad comparandam variarum in animo imaginum copiam necessarium fundamentum: inde verò, id ipsum quod dicimus, expressius tradens, commendat vt ad singulas anhelitus reciprocationes, *singula Dominica alteriusue orationis verba transmittamus, expensa interim vel significatione prolata vocis, vel persone (ad quam oratio spectat) dignitate, vel mea ipsius vilitate, vel vtriusque postremò differentia.* Quibus verbis plura quidem complectitur, propriè tamen quod hinc dicimus tradit, dum præcipit expendendam, vel significationem prolata vocis, vel eius

4. *hebd. in 2. modo orandi.*

ibid. in 3. orandi modo.

quæ aditur personæ dignitatem. Sed hæc ipsa B. Patris verba tam significan-
tia, eam profectò sibi merentur pensationem, quam adhiberi ceteris con-
sulant.

Et primò quidem dum ait per singula respirandi interualla singulas cura si-
gnificationis pensatione voces transmittendas; cogitationis occupationem, co-
natumque penetrandi monstrat: paulatim enim & quasi cunctanter, moras
trahendo, vni vocalæ adhaerescitur, imò non voci, sed significato, quod in an-
imum transmittitur, expenditur, interimque in eo contemplando spatium,
quod respiratori daretur, euoluitur: atque ita à vocibus ad res ipsas, à lingua
vel auditu, ad mentis aspectum fit transitus, qui tamen non volatice celeritate,
sed perspicaci solertis mentis contentione definitur: atque ut plurimum sin-
gulas respiraciones, singularum vocum consideratione, occupari expediat.
At hic negotiosissimus quisque reclamabit, parum id rebus agendis expedi-
tum, multas paucis in plalmis horas elapsuras, quid reliqui fiet ceteris? Ve-
rùm non is est vel B. Patris, vel noster sensus, ut in omni oratione sic ha-
reatur: sed ut subinde captatis temporibus, sic nostra mens assuefiat à vo-
cibus in res quasi emigrare; quod si frequenter præstiterit, potissimeque in
verbis & orationibus quæ quotidie recursant, expeditiorem vltim sibi
comparabit, longèque clariore lumine cuncta contuebitur. Adhæc iis in
precibus quæ paulò longiores, ut in recitatione diuini Officij, nihil veteri
vni alicui significantiori dictioni diutius immorari, dum porrò pergis. Fa-
teor equidem hanc adhesionem, & in res ipsas quasi penetrationem, mo-
ræ aliquid allaturam, ac illam utilitate & iucunditate tanta condier, ut
amabilissima sit futura. Experire, & senties, ac vel vna hac sola re, te à
vulgo secernes, mentem aliam, sensus alios sortieris. Plura in commenda-
tionem non addo, si experieris, senties; experiri si pigebit, nec illa quæ maxi-
ma dicere possem eredes.

Quod autem in vocibus significatiuis obseruandum diximus, id ipsum si
in personarum nominibus factitatum fuerit, reuerentiam maximè, & iucun-
ditatis cum alacritate sensum pariet. Est autem eo facilius, quòd illustriores
esse solent, & ad imaginem sui in animo exciendam, acriori vi præditæ per-
sonæ, quàm res aliæ: sin autem id quoque accesserit, ut mortalitatem ex-
tæ, Deo ipsi conuiuere credantur, ea profectò persuasio mirè animum exsti-
mulet necesse est, reputantem audiri se, se videri abs illo ipso quem cogitat,
eumque qui imploratur, implorantis causa variè moueri. quod cum in alijs
orationibus, tum in iis quas Litanias dicimus, accommodum in primis ac pro-
pè necessarium est fieri, vbi quando, vel audis, vel pronuncias, S. Maria, S. Pe-
tre, S. Agnes, tum statim aut mente cælos penertes, aut menti cælos inferas,
eamque Sanctorum maiestatem, claritudinem, gloriam, beatitatem qualifac
circumfluunt, hinc te videre putes, tantòque illos in æternitate diuini regni
prim-

principes, ad vnum tuæ preceationis verbulum, comiffima facilitate permotos, fummo Deo, infinita maieftate, innumeris Angelis & Sanctis circumdato, pro te viliffimo accidere fupplices. quæ cogitatio vbi femel imis animæ medullis infixæ hæferit, mirum fi non pergrata lætitiæ exuberantia orantis animum perfundat. Sic planè ad amiffim Bernardus: *Cum nomino Iefum, inquit, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, fobrium, caftum, mifericordem, & omni denique honeftate ac fanctitate confpicuum, eundemq, ipfum Deum omnipotentem, qui fuo me & exemplo fanet, & roborat adiutorio. Hac omnia fimul mihi fonant, cum in fonuerit Iefus.* Non potuerat difertiùs fanctus Pater idem nobifcum afferere. Ad quem modum peruelim vt Sanctos contueri affuefcas quoties de ijs aut meditaris aut cogitas.

Quamquam neque prætereundum eft, non folùm auguftiore illa & fupra humanam forma qua nunc fplendent, fpectandos effe Sanctos, fed etiam illa ipfa in fpeciem viliorè, qua olim degentes in terris pretiofum animi thefaurum lacerna corporis occultabant; quod tum maxime faciendum, cum in memoriam redimus eorum quæ ab illis olim gefa funt: vt quando, fi non D. N. Iefu Chrifti, & B. Mariæ, at S. Francifci, S. Dominici, B. Ignatij vel cuiufpiam Sanctorum modeltiam æmulari contendo, video illum toto oris & corporis habitu compositiffimum, contuitum oculorum, vocis fonum, geftum & motum omnem fummam ratione moderantem, quomodocumque res cecidiffent interritum, Deo quæ vni perperim inhærentem. Hunc ipfum intuebor aliquando inconcufla tranquillitate animi, feueritatem in voce, in obiurgatione, in correctione, fumere, ponere, vbi, quando, quoufque voluerit: Intuebor laborantem, quiefcentem, de fpectum, honoratum, dubitantem, præfidentem, afflictum, erectum à Deo, vel ab hominibus, vt fe dabat tempus & occasio, interim quæ illi animæ leniter infidentem & præfidentem Deum, tot quæ varijs periclitationibus, perennem æterni fecuritatem apparantem.

Hinc autem patet, effe nobis aptè ad id quod tum agitur effingendos, placatos, iratos, auerfantes, miferantes, aut aliter: cum enim res id poftulat, non eft id putandum indecorum, quando fe quoque quali talem, in facris Literis nobis exhibet Deus; dum ramen nulla eos perturbatione commoueri, fed fummam finceriffimæ rationis tranquillitate, omnia illa conftantiffimè agere fciamus, ad quæ nos, vel ira folet, vel iftiusmodi impetus adinouere.

Huic verò Sanctorum venerabundo afpectui non parum gratia accedit, fi id quoque iunxerimus, quod B. Pater ibidem memorat, vilitatem fcilicet noftram; quod etiam S. Bernardus attigerat, nos quali ranas è cœnofta palude noftra repentes, ingrato quæ fono coaxantes, informes, de fpectiffimos habendos effe: hoc fi ex animo præftatur, & ipfum per fe nos placidiffimè detinebit, & aliorum plurimorum affectuum fons erit & origo:

in

in primis tamen, & despectionis nostri, & venerationis in Sanctos & Deum. Sic autem distinctionem adhibet B. Pater, vt apertè commonstret posse orantem, vel significationi vocum expendendæ immorari, vel eâ leuius decursâ, aciem mentis in personæ, ad quam aditur dignitate, vel aduentus vilitate, detinere defixam: & quoniam in longiore, atque ex præscripto persoluenda oratione, singularum vocum pondus excutere, longioris foret temporis, & attentionis operosioris quàm vt commodè fieri possit; præter id, quod antè diximus, compendium, vt vocem vnâ aliquam reuoluendam in ceterarum transcurfu asserues, hinc etiam illud habes, vt saltem sic animo delectus, tibi quæ ipsi aspernatus, & Sanctorum, & Dei tui, qua fasest, & potes, immensam maiestatem animo complectaris, eique tremens & pauofactus adsistas. quod præstando, vtilissimum attentionis genus exercebis: quod quidem si solum fuerit, nequaquam malè tecum agetur: at tamen incommittitur non abibit, sed confertim, quauis occasione data varios pietatis sensus vtrdecumque excitabit.

Diximus adhuc de non historicis meditationi & orationi subiectis: restat vt ad historica transeamus: quo tamen nomine res omnes eas comprehensas volo tam quæ gestæ sunt, quàm quæ verisimiliter gerendæ, & eo modo referuntur, ac si gerantur. Historicum est Iesu Christi Domini nostri natiuitas, passio, resurrectio: quasi historicum, iudicium singularum, & vniuersorum; parabola non pauca; animæ meæ, si damnata fuerit, desperatio; si beata, exultatio & gaudia.

Inijs quæ historica sunt, amplissima memoriæ nostræ, & copiosissima imaginum leges est subiecta: nam & illæ de quibus modò multa diximus res ac personæ illis insunt, & circumstantiæ, actiones euentusque miscentur: quæ sibi simul composita immistaque infinitam propemodum rebus repræsentandis copiam suggerunt.

Obseruandum autem nobis est, vt eas ad finem nobis propositum quàm maximè accommodatè effingamus: etenim vt idem corpus luminosum si variè versatur, variè radios euibrat, ita fermè quoduis paulò illustrius exemplum, non vna virtute collucet, & leui considerationis flexu modò in vnâ, modò in aliam directus ferri potest: eritque hæc præceptio seruanda tum maximè, cum historiæ adhaerescimus, & vel in applicatione sensuum, vel in contemplando versamur. ad hæc enim duo precationum genera plurimum valent ea omnia quæ hîc docemus.

Vt autem quàm aptissimè res gestas effingamus, non parum conferet, si vel pictoris, vel Poëtæ personam subiuerimus. Pictoris quidem est ad viuum exprimere, & gratiam operi multipliciter inspergere, colorum venustas adesse debet, sunt recessus, sunt exstantia, sunt adumbrata, sunt luminosa quædam, sunt quæ dissimulantur honestiùs, est quædam in singulis proportio, est dispo-

fitio conueniens, gestus, habitus, & denique suusest aduentitiis ornamentis decor. quæ singula ad id quod agimus transferri non agrè possunt: nec enim hæc similitudo memoriæ, aliud est quam pictura mentis, siue idea mente expicta, cuius effectio longè facilior imperitiis fiet, si quando expressam exsculptamve ab artifice quopiam viderint. Sed planè aptius existimo, si quidam quasi Poëticus genius induatur, ac si rem illam probabili quadam verisimili-um adiunctione exornandam, ac in scenam producendam sumissemus, non quidem eorum veterum Tragicorum more, qui toti in permouendis vi orationis & argumentorum animis versantur, sed illorum potius qui probabilis plurima rerum personarumque, aprè decoreque permiscet: cuius rei delineationem quamdam ubi de mysterio incarnationis agit, præformauit B. Ignatius, consilia diuinarum personarum, mundi varietatem, angeli, & B. Virginis ac ceteras circumstantias verisimiles exequens.

Et sanè, quando spectaculum facti sumus Deo, angelis, & hominibus, ita habere debemus, versari nos quasi in amphitheatro quòdam, oculis eorum expositos, totamque quodammodo huius mundi machinam in vnum hominem depræliantem, contentius intueri. Sic decerrant, qui hætenus certauere Sancti, iisdem sub oculis prostrati victique iacere, qui cupiditate superari, in peccatum aliquando lapsi sunt. Quid igitur ad naturam accommodatius fieri potest, quam vt subinde ad spectatores nostros, modò vniuersos, modò aliquos, mentis intuitum conuertamus: quæ sint illorum animationes, exprobrationes, acclamationes, iudicia, gratulationes, commiserationes videamus, audiamus: non tantum, sed illi quoque ipsis rebus interueniant, & quod suarum partium est agant; fictæ denique personæ adiungantur & animentur. itaque non tantum Deus, angelus, dæmon, Sanctus aliquis aut plures, homines ipsi seu viui seu demortui; sed ipsæ quoque virtutes, iustitia, pax, mansuetudo, sapientia, fortitudo, peccata quoque varia, caro, mundus, honoris cupiditas; res etiam aliæ, vt diuitiæ, paupertas, morbus, sanitas, mors, vita, libertas, seruitus, aliæque complura voce, gestu, forma, velut animata spectabuntur. sed & quidquid est creaturarum in orbe, in eandem etiam conformationem accommodare possumus: sic ventos & mare nautis, solem & lunam & lapides Iudæis crudelitatem & impietatem exprobrantes audias. estque huius rei observatio perpetui vsus, & ad varios affectus animi peropportuna.

Neque verò has (si nuncupare hoc nomine liceat) personarum effectiones, & assimilatos earum habitus & gestus, veritati officere putandum est. Non est enim meditatio, narratio quædam, scrupulosè & quasi oblata iurisiurandi religione, rebus transactis adhærescens, sed pietati inflammandæ ex varia subiectæ materiæ tractatione deseruiens: nec adhibentur illa eo modo vt sic asserantur existisse, sed ita vt quiuis intelligens ad hoc ista profecti videat, vt in rem ipsam perfectius venire, eiusque vim omnem penitus exploratam

Bbb habere

habere possit. Quamquam quis ea verè contigisse neget, quæ prudenter in spectatoribus existerè putantur? nec enim, aut Deum, aut angelos, aut demonas, aut Sanctos, otiosos ad spectare credendum est: coronis allicite summus Deus, & gratia roborat: ad sunt angeli & Sancti, prece, ope, opera præstò sunt, auertunt mala multa, bona plura procurant, fermeque his administrò vitam nostram gubernat Deus; è diuerso quis dubitat implacabili in nos odio ardentem dæmonem, multa moliri, machinari quiduis, vt nos æterna salute & beatitudine euertat? Hinc igitur, vtrosque quasi consiliantes, & quod ipsis consentaneum est persequentes, quando cogitamus, nusquam à rerum veritate aberrare, sed insita & actionibus ipsis innata dilucidius euoluere putandi sumus. Est autem hoc ipsum in plurimis frequentatu facile, ac in primis fructuosum.

Et ista quidem, aut his similia vel re ipsa accidisse, vel similem quampiam vim, quod perinde videtur, esse insitam credendum est: etenim non magni refert, fueritne Augustino trepidanti, virguncularum timorem exprobrantium, vera effigies verè præsentium obiecta, an animo efficta tantum: itaque de his nulla dubitatio superest. Quædam autem sunt, quæ nullo modo necessario, vel etiam probabiliore cogitantur, attamen adhibentur pie, & accommodatissima sunt ad finem positum, cuiusmodi est quando meditationi de natiuitate Christi adiungis beatissimæ Virgini ancillulam: cum enim nihil indecori illi habeat, mirum tamen quantam hæc vna copiam præbeat affectibus. In S. Vincentio, S. Bonauentura de vita Iesu Christi Domini nostri id genus multa reperies; parè & cum delectu vtendum nisi communi vsu recepta sint, cuiusmodi sunt quæ paulò antè dixi.

Denique in illis quæ spectare nos credimus, sunt etiam subiiciendi, quantum fas est, oculis affectus eorum qui spectantur, v.g. modestia, leuitas, mansuetudo, ira, lenitas, crudelitas, amabilitas, feritas, & quæcumque ad speciem externam referri possunt: valebunt enim ista plurimum, tum ad primos affectus commouendos, tum verò ad coniecturam de animi conditione capiendam.

Ceterum cum eadem facultate non sint homines præditi, nonnullique reperiantur quibus imaginandi vis quiduis promptissime potest exculpere, & vt præsens referre; aliis verò contumacior, & flexi durior sit: omnino necessarium est, vt à nimia violentia sibi inferenda hi postremi caueant, ratiocinatione magis & voluntate vtantur: vis enim quæ phantasie infertur, periculosa admodum esse solet, & exhaurit vires cerebri. est autem planè à ratione alienum, si tantum laboras in iis quæ ad finem solummodo conducunt, vt postea viribus exhaustis consequendo fini conatum nullum admouere possis.

Vt ergo in hanc frustrationem non incidas, animaduerte posse nobis res obijci vel specie ipsa, vel persuasione: Specie ipsa, cum imagines ad

uiuum expressas ob oculos mentis gerimus, & quodammodo videre nobis videmur; quod in iis quæ nota sunt, quæ vehementer afficiunt, & probabiliter mox ventura credimus, solere esse vnicuique facile: vnde nemo capitis damnatus, in horrore mortis representando laborare solet: quod profectò argumento mihi est, persuasione & probabilitate vim imaginariam plurimum adiuuari. At verò persuasione, seu inductione animi, res nobis obii-cimus, non vno modo; vel enim in eas directò & vt certò præsentem ferimur, nulla tamen earum expressa imagine, vt Deum nobis præsentem credimus, eodemque propè modo alium credere possemus; quod vbi certum est, non exiguam vim habet: vel quasi quadam conditione posita, paulatim in res ipsas subingredimur; sitque maximè, tempora vel loca reuocando, aut alterius qui tunc interfuerit personam sustinendo, v.g. O si in Bethleemico specu tum fuisset! passimque cogitare potes & optare, O si hæc patrantem Dominum Iesum vidisset, quibus ea oculis, quo animo excepsisset, quàm alacriter adlaborasset! Est autem hic postremus modus longè facillimus, frequen-dandus, & qui magna suavitate in penitissimas verissimisque rerum figuras ducat. Hoc autem ex eo fit, quòd non potest noster animus vlla re permoueri nisi ea vel esse vel quodammodo esse cogitetur. Itaque si aliquid esse, verè & sine conditione asseueratur, estque magni momenti, motus potest cieri ve-herentes, vt si asseritur: Ecce ad cædem quæreris. At si id asseritur cuius nec-dum vlla animo nostro probabilitas inhæsit, aut quod scimus falsum (vt si mihi dicitur, Tu es rex) id me non mouet, quia animus non id cogitat vt existens, aut quasi existens, quod tamen omnis, cuiuscumque efficaciam, pri-mum est fundamentum. At si occurrit, Quid faceres si rex esses? tum res, quæ cum conditione adiecta cogitatur vt si esset, permouet, & variè exci-tat. Idemque in rebus non bonis animaduertis: si enim animo obiicitur quando nemo adest, Hic est vxor, hic inimicus, nullus motus excitatur; at si obiicitur, quid si vxor, si inimicus adsit, tum libido, & vltionis excita-tur motus.

Sed his de rerum efformatione dictis ad ratiocinationem transeamus.

CAPUT IX.

Quomodo intellectu seu ratiocinio ritè dirigatur meditatio.

QVemadmodum in oculis corporis imagines quædam resident eorum que videntur, illæq; ad sensum quem philosophi communem vocant intro deferuntur; non secus memoria, siue vis ea quæ similitudines rerum effingit, eas ipsas intellectui seu iudicio censendas offert. Est autem munus intellectus, ut diiudicet, scrutetur, intelligat, de conuenientia, de que discrepantia rerum sententiam ferat, certoque sibi sine proposito, quæ ad illum faciant prudenter selegat: quippe ratiocinationis omnis id maximè proprium est, ut dissipata multa simul vinciat, & è perspicuis obscura vestigans veritatis lucem breui diluendoque complexu quasi vno radio comprehensam, spectandam animo obiciat, quod si perfectè fecerit, vel eam diffiteri non possumus si contemplationi sit res subiecta, vel non possumus quin aut fugiendam aut expetendam iudicemus, si de respuendo, vel eligendo instituta ratiocinatio fuerit.

Præterea cum in toto homine vna dominetur voluntas: voluntati verò sit limes positus, nihil ut velle possit, nisi quod sibi bonum existimet: hæc autem existimatio & diiudicatio, propria sit intellectus; patet profectò quantum in ipsam voluntatem, adeoque totum hominem iuris habeat ista intelligendi diiudicandique vis: eoque sit excolenda magis, quòd voluntas quidem à sensu, affectu, imaginatione in transuersum abduci potest, at intelligentia veritatem clarè oblatam refutare & auersari non potest: & licet corruptæ voluntatis aut affectionis impetu nonnumquam indistorta & praua rapiatur, si tamen consideratione repetita, veritatis semel cognitæ caueatur obliuio, inuicta sequitur, restitat, obmurmurat, nec à conuiciando, vellicando, diuiniudicij terrore intentando desistit, donec tandem persuasam voluntatem ad rectiorem viam flexerit.

Et hæc quidem excolendi intellectus rationes sunt cum ceteris communes ad meditationem autem propriae sunt, tum quòd meditatio in ratiocinatione versatur maximè: tum quòd maximè huic sanctæ & vtilissimæ exercitationi, vel naturæ deprauatio, vel infestissimi dæmonis insidiæ obicem ponunt: nullum verò à nobis efficacius auxilium parti vlli quàm intelligentiæ adhiberi potest: est enim illa rector, certior, incorruptior, cumque fuerit incitator, ceteras excitat, excitatis verò, imò necdum excitatis, & ut excitentur perficianturque, adest Deus. Habet etiam hanc vtramque vim exercitatio intelligendi, quòd & ipsa per se iucunda est, ac nos delectat si quando super vno argumento variis excogitandis sufficimus; & præterea varios potest affectus

com-

commouere, qui vbi semel excitati fuerint, tum verò nullo labore in eadem re meditando perseueratur. Aliàs cæcus esset sine ratione excurrens affectus, & rerum vel argumentorum inopia laborans meditatio, rædij pariter deiectionisq; plenissima. Breuius ergo facillimiq; præceptionibus intelligentiâ instruamus.

Duo sunt intelligentis animi officia quæ non incommode, intellectus & iudicij nominibus notari designariq; possunt: primum, quodque est omnium quæ intelligenter atque ex ratione sunt fundamentam, est cognitio & intellectus rei qua de agitur, qui est quasi simplicissimus quidam intuitus, quo veritatem & naturam contemplando spectamus: quare in hoc sunt numero collocandæ omnes illæ contemplationes, quæ sola admiratione, personæque vel rei inspectione cõstant. Alterum est vt de re quæ intelligitur & videtur, iudicetur. est autem hoc iudicium duplex: primum de re ipsa in se & ad suum finem spectata, vt Iesu Christi Domini nostri labores, vita & mors quantis obseptâ difficultatibus, virtutibus instructa, quàm ad propagandam Dei gloriam, salutem hominum reparandam necessaria: alterum est iudicium, de re ad imitationem traducta, seu traducenda, vt quando caritatis, patientiæ, humilitatis tantum decorem spectauimus, ad me conuertor, & quanto opere illarum sim indigus lugeo, quæroque qua tandem via in rem meam præclara ista possint exempla deriuari, quod postremum quia ad actionem & praxim refertur, iudicium practicum vocari solet, cuius vis maximè elucet in voluntatis, totiusque hominis aggressionibus rectè sapienterque dirigendis: ex quo vno cum omnis humana perfectio pendeat, nitendum nobis est vt quàm rectissimum sit hoc iudicium, si enim deprauatum fuerit, quomodo non secum cetera distorquebit? recto verò auctoritatè in cetera, seuerumque tribuamus imperium. Rectum autem nulla certiore ratione potest reddi, quàm si frequenti meditatione, æterna, sancta, diuina doceatur, usque omne iudicium suum assimilandum esse peruideat. At verò recto aggeratur auctoritas, si constanter & fortiter illi subiugentur, & parere condescendant reliquæ omnes & corporis & animi facultates, seuerèque obseruetur vt nemini sit impunè si eius imperium aliquando detrectarit, sed grauiore atque molestiore inflicta pœna alacritas in parendo sanciatur.

Primum itaque est vt intelligamus, tum verò vt iudicemus: quod vtrumque, vt de memoria dictum est, vel in historicis vel in non historicis exercetur: curandumque diligenter vt in eis quæ intellectui offeruntur, magna veritatis ratio habeatur, quippe ex falsis non nisi falsa, & à vero colliget aberrantia. Quodcumque verò seu intelligendo, seu ratiocinando compererit, diligentissimè intendat vt ex eo aliquod ad perfectionem incrementum capiat, indeq; mentem in Deum seuocet: ad eò vt in tria omnino incumbat, rerum nempe quæ propositæ sunt intelligentiam, vtilem sui doctrinam, Dei que cultum & amorem excitandum, qui sit nonnumquam cum imploratione coniunctus, hæc autem quomodo perfici possint, paulatim sensimque dicemus.

Et quidem in historiae meditatione non potest non abundare copia intellectui exercendo, si paulo diligentius animum aduerterimus ad eam quae in illa inest varietatem: primò enim & maximè occurrunt personae, in quibus ea sunt perpendenda quae ad illas attinent, ætas, dignitas, forma, sexus, robor, firmitas, educatio, nobilitas, oris vultusque conformatio, & alia eiusmodi in hominibus: nã in dæmonibus, in Sanctis, Angelis & Deo opt. max. sunt alia quae deceant. Meditari si voles mendicantè Ignatium, in eo non procaces mendiculatorum vultus, sed ex modesta humilitate erumpentem dignitatem oris intuebor, hominem in ambitione militari educatum, tumentes generis nobilitate spiritus comprimentem, quàm diuerso nunc ambitionis genere laborantem! quippe non aulae regiae vanus affectator, titulis incubans in senescit, sed æterno Regi placere soli experiens, contentissima & pauperrima vita, omnium esse postremissimus appetit, vt Iesu Christo amantissimo Domino suo similior euadat. ô quantum mutatus ab eo qui Pampelonam ferociens ingressus fuerat! Nec dissimiliter vel S. Franciscum, vel ipsum etiam eorum Dominum, dum in terra degeret, viuentem videas.

Secundò, in historia intercedunt verba, & quidam rebus ac personis sermo conueniens. Ita, vt idem exemplum sequar, mendicantem B. Patrem verba sua modesto, moderateque graui sono, ad humilitatem conformasse reputandum est: audiendi procaciores nonnulli, qui velut laboris fugitantem, & ignauium fannis prosequuntur; at nihil regerit, contemtionem sui gaudet: alij multa rogant de patria, genere, familia, sed ad hæc conticescit: quidam intro domum euocant, adit humiliter, verba de Deo miscet, flammam caritatis de caelestibus loquens euibrat. Est enim sua silentij taciturnitatisque ratio habenda, & vbi id opportunè ceciderit, sermoni & locutioni comparanda.

Tertiò, insunt actiones & opera, quorum natura, modus, tempus, circumstantia sunt expendenda, vt mendicationem rem esse natura sua vilem, cum sit beatus dare quàm accipere, molestam, irrisionibus & despiciatui obnoxiam, eo grauiorem quo diuturniorem, & in plures annos, voluntarièque susceptam; homini occupato, longum iter agenti; ac per vias militibus infestas, rapinis & excursionibus exhaustas, peregrini idiomatis, inueterato (quale Hispanos inter & Gallos vigere solet) odio laborantes, propè sic intolerabilis oportet. Quot hinc, delicatius enutrito corpore humicubationes, inanissima ieiunia, asperitates in victu, grauèque tota in vita molestia: At verò si exerceatur in patria, fortius hoc ipsum est, blandientem, præsentem, affatimque suppetentem commodorum, deliciarum, honorum copiam aspernari, demiratores vulgi susurros floccipendere, amicorum & cognationis posticas derisiones, ac nonnumquam indignationes, immota serenaque mente superare, multisque delinitum illecebris numquam ab incepti cursus contentione destitit. Sed mirè hæc singula in Christi Domini paupertate sese efferunt.

Quar-

Quartò est etiam unicuique rei suus præcipuus finis in quem tendit, cuius causa existit: est etiam singularum partium, quidam peculiaris & ad præcipuum communemque illum aptus & accommodatus. Habet autem finis consideratio vim permaximam in iis quæ spectant ad mores; cum omne iudicium decori honestique contineatur hoc vno, an ad honestum finem aptè decenterque dirigatur: & verò ut sunt connexæ coniugatæque virtutes, & sæpè fit ut actionum sanctarum non vna sit honestas, inde inuestigare conuenit annon ob varios, in vnamque Dei gloriam coeuntes fines sit aliquid susceptum? Quippe mendicato victum quærere potuit B. Pater, ex auiditate semetipsum contemnendi, potuit id velle ut humilitatem exerceret, ut durior vita molliorem sæculi expiaret, ut experimento disceret non in incerto diuitiarum, sed in prouidentissimo parente Deo sperare, ut quæcumque vel fastus vel commodorum humanorum sunt, à se longissimè remoueret, ut ad dura pro Christi nomine perferenda, derisusque & contumelias magna animi æquitate tolerandas assueficeret, ut peccatricis animæ egestatem indigentia corporis perfectius agnosceret, ut Sanctorum, ut denique Christi Domini nostri, pauperrimam olim in terris vitam degentis, aliqua saltem parte similior euaderet. potuit igitur ob hos & ob alios fines plurimos, mendicationem sanctus Pater elegisse, quorum nonnulli interdum quibusdam ex actionibus magis emicant: inquiri, spectari, de quæ illis ratio cinatio institui ab intellectu semper potest. In singulis Christi Domini actionibus, quidpiam hinc inest inexhaustum: nam singulas & caritate, & humilitate, & omnigenis virtutibus ornabat, & in immensos diuinæ gloriæ, humanæque reparationis ac sanctitatis fines dirigebat.

Quintò, quis effectus, quæ sit utilitas, damnûmve securum videndum est. Est autem utilitas & damnum duplex: vna illiusmet qui rem eiusmodi peragit: altera ceterorum. dum enim Dei filius est pauperrimus; damnantur humana iudicia diuitias paupertati præferentia; dum etiam vir nobilis, animique excellentissimi ad mendicationem se abiicit, profectò sui ipsius victor existit, & quidquid turgidorum in se spiritum supererat vel opprimit, vel extinguit: ceteros hominum, qui eiusmodi vltionæ demissionis, non maligni spectatores vel auditores fuerint, ad eiusdem virtutis imitationem sollicitat, facitque ut fateri cogantur, re vera nihil in humanis magnum nisi animum, qui ea quæ videntur magna, despectat.

Sextò, eorum qui res eas agunt cogitatus, affectus, variique sensus animi ad rei gestæ cognitionem plurimum conferunt: vnde hinc adhibenda est ea, quam, vbi de memoria dictum est, commendauimus, inuentio decora personarum. quæ recta diiudicatione persuasibiliter disponatur. Nec verò copia deerit si etiam Sanctos iisdem quibus nos & tentationibus & affectionibus expositos fuisse crediderimus, eorumque personam tantisper induentes,

ren-

temptationes, fluctuationes, animationem, gaudia victorum nō quasi alieno, sed quasi sensu nostro proprio expresserimus. Veluti, nec enim semel assumtum exemplum depono, tu ad alia, & alios plurimos traduc longius, si mendicantis Ignatii personam sustinentes, nos quasi audire, internoque sensu percipere poterimus, quomodo insidiosus dæmon humilitati eius inuidēs, argumentis in speciem quam maximè verisimilibus, à mendicitate eum sit reuocare conatus, studiorum retardationem, iacturam temporis, orationis & sanctorum operum exercitationem, multorum offensionem obiiciens, tædium importās, languore corporis exterrēs: hinc tibi hærebit aliquādo dubius, acrior vrgebit hostis, & paululum cedente Ignatio, iam spe victoriam deuorabit, at verò vel meliora suadente angelo, vel diuinæ gratiæ munere redintegratis vegetioribus animis, in seipsum durior exardescet, totoque animi sui sensu, & longissimè à se dæmonem repellet, & mendicationem amicissimè complectetur, seque pauperi Deo pauperissimum & abiectissimum, lætus & libēs offeret. Hæc autem sic in aliena persona suscipiendo, & in se exprimendo, sunt permiræ cuiusdam efficacitatis, ut nos eadem sentire propemodum cogant: placet enim decertantem intueri, placet audire quibus vincat argumentis, placet victoris gratulari coronis, dumque neque talem virum aliter potuisse, neque debuisse iudicamus, quid proclivius est quam in eius transformari similitudinem, cuius induimus personā, & placuit quid conuenientius, quam eius imitari in certando perseverandoque conuantiam, cuius pugnam, victoriam coronamque miramur? Habent hæc etiam suum in Christi Domini actionibus locum, quantum attinet ad humanæ, quam assumfit, infirmitatis sensum, quo pauere, tædere, mæstus esse, & contristari voluit, & angelicam Deus-homo cohortationem non est dedignatus.

Ex iis autem quæ dicta sunt patet, quam facile sit ex rebus ita copiosè dignèque intelligentiã perpenis ad iudicium practicum deuenire, quod omnino, & propè semper faciendum nobis est. Facimus autem quando è singulis quæ notauerimus, fructum aliquem decerpimus, imitationis, amoris, doctrinæ, aut rei cuiuscumque melioris, id conando ut nihil nobis infructuosum elabatur. Quæuis autem obseruatio persuasibilior redditur iisdem insistendo vestigiis, si personam personæ, verba, opera, finē, effectus, animi sensus, sensibus, effectis, finibus, operibus, verbis opponimus, eademque & maiora potius à nobis exigi confirmemus, exempli gratia, ille Deus summus, ille vir militaris & nobilis mendicantem, Christum profitentem, humiliore situ ortum, quam auidè idem deceret expetere? Ferocientis spiritus homo, & acriter biliosus, ita sannas aure surda bibit, & velut mutus nihil contrā hincit: ego verò nihil in cā animum? semper ad retaliandum paratus, semper habeo quod reponam? Ignatius communem vitam necdum in Religiosa familia viuens, fraternis ædibus despretis, communè pauperū, in oculis patriæ totius affectat: mène ut Religiosum deceat, opulentiorum commodiores domos exambire? cognatorū, amicorum, & affinium, in patriam

patriam si quando venero, vel conuiuia frequentare, vel munusculis auidum inhiare? Ecce in regione externa, in multos annos, quàm se totum diuinæ prouidentiae relinquit, ego ad breue aliquod iter, anxius viaticum exigam copiosum? nusquam, nisi verbis, Christum pauperem pauper sequar? Quis dubitet, ex eo factum deinceps fuisse, vt diuina gratia seruo suo quem tam serio ad sui contemptum niti videbat, tantam humilitatem, tantam humanarum rerum despectionem sit elargita? me nihil eiusmodi conantem, quid mirum est in postremis habere, inanissimo tumori mentis obnoxium? Tu verò sancte Pater si quando repulsam in medicando passus eras, laetabaris, exultabas, efferebaris gaudio, & vel mente, vel etiam, si locus ferret, prouolutus in genua, Deum immitibus istis placabas, exorabas; tum verò tui memor, O Domine Iesu Christe (inquebas) pro me olim pauperrime, hanc meam tibi paupertatem libens, volens consecro, o si à te admitti mereretur! mea Domine, digna sunt scelera, vt ab omnibus repellar; repellar mi Iesu, in hac vita, & ab hominibus repellar, dum à te non repellar, sed recipiar in æterna tua tabernacula! Hæc & his similia ardenti corde promebas; pati, iucundum erat; contemni, gloriosum. Deus bone! quàm diuersa in me omnia comperio! quàm alios regnare video sensus! petita impetrare contendo, indignor recusanti, contemtionibus exterreor; numquamne ergo ipse me vincam, serpam semper, ne que me ex impotenti vanitatis dominatu in libertatem Sanctorum asseram? His & id genus alijs instigandus animus, & ad ea, quæ mox sequentur, atque ad voluntatis incitationem molliorem sibi transitum parabit.

Poterant amplissimè, longeque fusiùs dici singula, verùm id satis est ad præformandum exemplum, cuius gratia in vnico quod primùm occurrit mendicationis argumento hæsi. idem in quauis cuiusuis historiæ parte præstari potest: vtileq; fuerit ad facilitatem comparandam, si, cum in aliquo meditationis membro inopia ratiocinandi laboraueris, hæc in manus sumas, adhibitoque calamo, studiosè ad imitandum coneris, & quouis idiomate experiaris, quantum ad hæc possis accedere; idque si aliquoties præstiteris, exuberantiorem te proculdubio reddes.

Ceterùm potest hæc sui cum alio comparatio, omniumque in se ipsum deriuatio fieri, vel in singulis, vbi primùm singula voluuntur, vel postquam singula considerauerimus, quando scilicet eo modo, cuius dedimus exemplum, quadam vel recapitulatione, vel iterata, sed breuiore tractatione resumuntur. Sunt verò quæ hoc capite diximus, transsumta omnia ex B. Patre de Domini nostri Iesu Christi incarnatione & natiuitate tractante.

CAPVT X.

*Quomodo in virtutibus expendendis intellectu & ratio-
mo sit vtendum.*

EArum quæ de præclarè factis, & rebus historicis instituuntur meditatio-
num, is esse solet scopus & finis, vt ex eis, rectè viuendi exempla & argumen-
ta sumamus, quare omnia ea tam multiplex, quam recensuimus, consideratio
eò vergit, vt virtuti capeffendæ planior via sternatur, leniterque & sensim ab ad-
miratione virtutis alienæ ad suam ipsius incitandam firmior gradus fiat: cum
autem historica meditantur huc delapsi erimus, (vt in exemplo descripto, cum
ad paupertatis & mendicitatis desiderium iritandum deuenierimus) tum vti
ea quoque nobis adhibenda erunt quæ hoc capite recensentur.

Primo ac præ reliquis virtutis propositæ vis, natura, proprietates & partes pro-
bè sunt cognoscendæ, estque nobis ipsa spectabili decore ac splendore fingenda.
Se ergo oculis animi obijciat paupertas, tenui, sed honesto habitu Heronæ,
fortuna bona omnia despectans, caelestia iam propè contrectans, humilitate &
patientia comitibus gaudens, tranquillitate magna perfruens, providentiissima,
quæ illi assideat, Dei curæ & benignitati confidens, ac futuri secura. Aderit se-
dulus illi cultor Ignatius, eiusque inopia diues, multa, magna, ampla, & toto orbe
diffusa, diuina ope fretus audebit. Poterit & adspectari paupertatis vnicè dile-
ctus alumnus Franciscus, vt eius lacte copioso & temente non in annos recondi-
ta, sed in dies incredibiliter pullulante, innumeros alit filios, vt paupertatis com-
plexu, vt eius penuria delectatur! Et horum sacer ille affectus, quo nisi Bethle-
mitico infantis Dei, & Virginis Matris fonte profluxit? hæc est paupertatis regna,
hoc ad omnem memoriam admirabile caelestis Reginae palatium.

Iam verò quavis in virtute sunt nobis excogitanda varia, quæ solent ex natu-
ra ipsius emanare, quorum primum videtur ipsa esse honestas, quæ licet vix aliud
sit quam ipsa met virtus, splendorem tamen quemdam & decorem maiestatis
cum amabilitate coniunctum, quandamque, quæ non oculis corporis, sed men-
tis cernatur, pulcritudinem animi sonat. sic autem intelligitur, vt quemadmo-
dum pulcritudo est apta quædam coloris, lineamentorum membrorumque pro-
portio: ita animæ, sine qua nequaquam pulcrum esse posset corpus, sua non de-
est pulcritudo, quæ profectò alia esse non potest, quam si eius pars omnis ad eò
rectæ rationi conformetur, vt illustre nescio quid, & ad omnem, vbi rectius iudi-
catum fuerit, partem habile & expeditum cluceat. quo sanè pacto videas pru-
dentiam discretionemque, depulsa ex animo rerum expetendarum fugiende-
rumque ignorantia quasi tenebris, lucem quamdam & rectæ dijudicationis
splen-

splendorem, velut venustissimum illi colorem inferre: virtutes verò reliquæ, cum vitiis debilitationem, stuporem, distortamque prauitatem sanant, cum dissonantia omni sublata, summam conuenientiam, & ad meliora concordiam, quasi lineamenta restituunt, cum ipsas vires, & in id quod ex ratione est pronitatem & impetum quasi robusta quædam membra superadunt, annon quidquid pulchritudinis perfectioni addi potuit, abundè videntur adiecisse? annon in eiusmodi animo eximiam quamdam cum dignitate formositatem contemplantur? Sistamus ergo cogitationem, & quemadmodum corporum quæ placet pulchritudinem, sæpius oculis cernimus, & cernendo delectamur: ita hanc speciem, hoc illustre formæ decus quacumque in virtute & ex virtute impressum expressumque, læti, & diutius, animo ad spectemus, sitque hæc prima nobis sancti amoris illecebra. Sic possumus diuitias abdicantis animum intueri, caducarum rerum & mortalium contentione celsius eleuatum, dissipatis auaritiæ retinaculis ad quæuis expeditum, cupiditatibus resectis tranquillitatis nitore fulgentem, translatoque ad celestia amore purissimis diuinæ caritatis radijs illustrem: quæ omnia cum supremæ rectissimæque rationi maximè consentanea sint, honestatis decorem & pulchritudinem ex anima illa erumpentem restantur. Eam ipsam nobis etiam expetendam, in nos omni conatu aduocandam agnoscere debemus: indeque ad vitij sceditatem execrandam excitari: est autem illa sceditas è rationibus planè oppositis cognoscenda, quod naturæ, quod ordini, quod rationi, quod Deo repugnet, & sit odiosa. plura non addo, ne à proposito longius digrediar.

Alterum quod vehementer allicit est utilitas, quæ ipsa perse, vel potius hominum auiditate nimia, tantæ solet esse pellaciæ, vt vbi spes eius affulserit, non paucos hominum, honestate contempta, ad suum quæstum transuersos agat. Hic ergo sit nobis quàm certissimum, vtile nihil homini esse posse quod sit abs honestate disiunctum: quippe cum honestate & ratione differat homo à belluis, potestne id esse illi vtile quod ferinum & belluinum eum fecerit: vt omittam quàm soleat prauorum consiliorum, & iniustorum emolumentorum euerfor esse Deus, quàm innumera animo nostro importet damna peccatum, ad quod expugnandum cum nemini desint argumenta, omnino est fallæ adumbratæque utilitatis existimatio ab opinione nostra euellenda. At cuiusuis virtutis certa est, & non medioctis utilitas: est enim quædam, qua nihil desiderabilius, animæ sanitas, opposita mala depellens, & habiliorem ad id quod rectius est reddens; tranquillissima quadam pace totum hominem perfundit, perturbationes molestas sedat, à Deo, angelis & hominibus laudatur, gratiam & amicitiam diuinam conseruat ac auget, immensam denique & æternam beatitatis celestis coronam iustis meritis comparat. Quæ profectò qui seriò cogitarit, clarè ille perspiciet, hanc vel utilitatem esse solam, vel certè tantam, vt præ illa emolumentum aliud nullum sit utilitatis nomine dignandum. Iam verò his perspectis, ad

quamcumque virtutem accefferis, illico promptum fuerit eius fructus enarrare. Virtutum autem atque rectè factorum, eadem sunt utilitates & commoda. Quare in mendicatione descripta, Dei que nomine suscepta videre possum idè gregiè præstari: morbos enim animi cupiditates habendi persanantur, delicatus corporis victus & habitus duratur, superbix ferocia contunditur, suis ipsius demittendi assuetudo generatur, deiectionis tantæ propter Deum (suavissimi recordatio est, caliculis omnibus perplacet, non exiguis gratiam diuinam actibus exaggerat, caelestesque in æternam beatitudinem, & non vulgares coronas apparat. Atqui si hæc ipsa propius ad nos admouerimus, de que imitando eiusmodi opere cogitauerimus, eadem quoque commoda in nos derivanda reperiemus: estque hoc ordine, pari que methodo progrediendum in ceteris.

At quoniam interim accidit, nec est profectò rarissimum, ut nos honestas utilitasque alliciant, ab aggrediendo tamen deterreamur, vel arduitate rei, velleboris timore deiectionis: est nobis hic ignavia torpor excutiendus, plurimamque virtuti facilitatem inesse, non tam, ut credamus quam ut, si fieri potest, persentiamus laborandum est. Hoc autem ut in animam inducamus, proprie & maxime valent exempla Sanctorum: dum enim eidem cui nos infirmitati carnis obnoxios, grauioribus tentationibus appetitos, præ nobis longè duriora passos esse, & quam maxime austera rigidissime pertulisse dispicimus, istudque omne summa alacritate peregisse; profectò nihil restat, quam ut fateri cogamur, posse illa eadem, aut si non eadem, minora certè & faciliora, magna mentis alacritate, magna que facilitate ab homine suscipi, cumque susceperit perfici. accedit etiam quod ferme à rebus magnis & nouis inchoandis, quidam horridus pauor solet auocare, quem nulla res æquè depellit, atque dux fortis, qui aspera omnia præeundo complanasse videatur. Multa præterea magna que virtuti auxilia præbent sunt, multa que illam nobis perfacilem esse doceant. Auxiliator enim adest Deus, qui, ut multi Sanctorum volunt, pia nostra desideria in tantum exaudiet, quantum nos ab eo exaudiendos esse credemus; iam si eius infinita est potestas, eius viribus decertanti victoria est in facili, quomodo non erit facilissima virtus, ad quam, auxiliarem ab eo gratiam, quantam voluerimus, tantam impetabimus? Quis sperauit in eo, & confusus est? numquid non & Angelis suis mandauit de te ut custodiant te in omnibus vijs tuis? tene tot fortissimorum Dei militum circumuallatum præsidij, infirmum imbecillumque reputabis? Sed & tibi tanto auidius præstò adsunt innumerabiles Sancti, quod tuam olim debilitatem experti miseritè hominum didicere succurrere. O quoties sustinuerunt turbantem, lapsantem erexere, deiectionem confirmare, excitare languentem: quoties truculentissimorum hostium impetus represserunt, retexerunt insidias, conatus eluserunt! & his angelicis, hisce sanctis copijs cinctus, nonne qualiter hostiles acies imperterritus irrumpes? Ecce enim eo quoque natura propensio inuitat,

inuitat: nihil quippe tam hominis est proprium, quàm ratio, quàm mens, mentemque perficiens virtus; nihil ab eo magis alienum quàm vitium, quod est quidam animi morbus, ægrotatio, distortio, prauitas & deformitas: nec verò si longiore malum iam inueterauit consuetudine, si honesti ignorantia laudatur, si delectationis appetitione diligitur, minùs idcirco vel nature nocet, vel ab ea depelli debet; imò verò tanto magis, quo est nocentius quando tantum pollet, haud secùs atque inualetudo corporis tanto est curanda diligentius, quanto penitiùs illi inhærit. Quid? quòd mali peccati que peruersitas, & quouis odio digna pernicies, stimulos acriores subdendo, ipsi etiam virtutis facilitati suffragari videtur? quòd ipsum vehementiùs facit, necessitatis in qua sumus positi, perpessus probeque perspectus articulus: etenim si vstiones, si amarissima medicina, grauitate periculoque morbi urgente, quadam quasi dulcitudine, abs vitæ conseruanda desiderio, condiuntur; si ipsa sæpè numero è periculis euadendi desperatio, faciliores & insperatas effugio vias aperit, quantos & quàm insuperabili robore animos à nobis indui parforet, qui certò scimus in eam nos redactos esse necessitatem, vt vel voluptati seruientibus æterna sit morte moriendum, vel virtuti deditis optatissima sint reposita immortalitatis præmia fruenda? Sic ergo amabiliter & desideratè nobis est virtus intuentia, vt quæ nobis bonorum omnium origo, & malorum sit expultrix: eius verò amorem & appetentiam maximam cum excitauerimus, non facilè ad vltos virtutum insulcus, vel formidatos terrores, pauidi contrahemus animos. Sed non possum facere quin istud iterum commendem, facilitatem virtutis clarissimè patere è Sanctis: cum enim non alterius conditionis, non diuersæ nature fuerit in illis, si prauo semoto affectu, si animi imbecillitate superata, ritè quod verum & æquum est ratiocinemur, quid est cur eis perfaciles, cur alacriter virtutis partes omnes obita fuerint, & derepente eadem illæ nobis omninò arduæ inaccessibleque videantur? sanè non id virtus efficit, quæ ipsa sibi semper similis est, allicitque ad se potiùs quàm repellit, sed facit hoc imbellis animi nostri mollitudo, quam vtinam superemus aliquando, & protinùs prona erunt omnia, & sensuum nostrorum tot præsidijs deuicta contumacia flectetur. Neque verò hîc necesse est, vt horum argumentorum vim quæ abundè satis elucet, in eadem mendicandi voluntate persequar: si enim virum tibi effinxeris cui sordet tellus, cælum sit in amoribus, crux in delicijs, comoda sint exosa, cui copiosissima adspiret diuina gratia, cui Deus, Angeli, Sancti sunt in oculis, cui edomuisse carnem, sensus frangisse, æternitati seminasse sit in opratis; si tibi inquam talem effinxeris, numquid non viro eiusmodi mendicatem & paupertatem facilem iucundamque censebis? non ei incredibilem animo pacem tranquillitatemque peperisse? non ingentia, quòd inanes diuitias pauperi pede premeret, gaudia cumulasse? quid verò? si honores, si diuitiæ, sic illi nolenti & inuito obtrusa essent, vix

vt refutare potuiffet, bone Deus! quantus illum animi angor oppreffiffet, quid non efflet molitus, vt illas à fe quali pestes præfentiffimas longiffimè amoueret: has igitur exhorrefcebat plurimùm, in paupertate verò & mendicitate vt plurimum dilectis fuauiffimè conquefcebat.

At verò incommoda fe multa fenfibus obijciunt: refutanda, comprimenda, grauioribusque quæ in contrario funt incommodis, omnis eorum eft afperitas lenienda: quid enim? fi durum hîc fuerit, annon durius in æternum? fi pauper fueris voluntarius, an nescit, annon prouidebit Deus quibus opus habeas? fi fenfus non edomueris, quàm erit eorum intolerabilis impotentique dominatus? at fi fic feceris, en tibi quot commoda? hîc auxilio erit vtilitas, vnam enim rem alterius ope fuffentare decet.

Et quidem quæ diximus cuius funt virtuti communia, propria tamen singularum eft & peculiaris quædam honeftas, vtilitas, facilitas, interdumque honeftas, facilitate, interdum vtilitas, interdum & facilitas præ ceteris eminet: honeftas, in magnanimitate; vtilitas, in deuotione; facilitas, in modestia elucet: vt plurimum tamen dubium eft quid potiffimè fplendeat, vt in obedientia, caftitate, paupertate, humilitate, honeftasne an vtilitas eft potior? at verò cum id animaduertimus, ijs maxime inhærerere debemus quæ magis exftant, & eorum amore ad totam ipsam virtutem amplectendam animum inducere.

Est etiam fui ipsius ratio habenda, vt fe quisque difpiciat, noritque qua melius illecebra capi poffit, quæ apud illum argumenta plus valeant: funt enim qui cuiuspiam re vera leuioris rationis obiecto perculfi, facili momento fe in ea impelli confilia fununt, ad quæ antea numquam vilius potuerant perfuafione adduci: tantum fcilicet, in rationum cum natura conuenientia, momenti in eft. hanc autem, feu cafu, feu animaduertione, fi quando deprehēderimus, eft ea plurimùm vtendum; in eamque folerter deuergendum eft partem, non quæ ratione fui optima & perfectiffima, fed quæ ad nos in meliora promouendos, eft futura quàm aptiffima.

Huc etiam fpectat, eftque id munus intellectus, vt virtutis præftantia cognita vias & exercitationes veltiget, quibus eam comparare, conferuare, augere conftanter poffit. Prouidere quoque & cogitatione præoccupare oportet, quid cōtrā fit infurrecturum, vbi pugna fit magis anceps, qui poterit tutius decertare, & certius victoria reportari: Inquirendum num quid non meliore, conftantiore, perfectiore aliqua via virtutem tenere, exercere poffemus? eftne aliquid quod fuperadiectum vellet Deus? Cum autem vel viam & methodum acquirendæ, vel modum exercendæ virtutis inuenerimus, tum verò eadem ratiocinatione animi vtendum eft: quæ videlicet in illis honeftas, vtilitas, facilitas reperitur: quor illis neglectis incommoda, damna doloresque coniequentur.

Pater igitur quanta fe intellectui noftro ad ratiocinandum copia, quàm latus & immentius campus aperiat, vbi primùm virtutis alicuius ftadium fuerit ingref-
sus:

fus: ecce enim statim in eius natura, honestate, vtilitate, facilitate occupatur. Inde quaerit qua via, quibus artibus ad eam debeat tendere. quod cum repererit, tum huius ipsius naturam, honestatem, vtilitatem, facilitatem, cum virtute conuenientiam, & frequentationis mensuram definit. Ad haec de exercitatione sibi praescribenda possunt eadem ratiocinationes institui. Item quaerit numquid melius appareat, de qua hoc ipso eadem scrutari. Hinc autem si in contrarium deflexeris, & in id quaerit contraria sunt, nempe foeditatem, damna, cruciatus, peruersitatemque naturae, & conscientiae angores coaceruaris. Si haec vel plura vel aliqua exemplo Sanctorum, Beatissimae Virginis, vel Domini nostri Iesu Christi confirmaueris, atque ex his interdum saltuatim ad eorumdem Sanctorum, diuinamque opem implorandam eruperis, equidem vides quam facile sit in vnaquaque re quam diutissime animum pascere. Verum de imploratione non loquor modo: quamuis enim ad intellectum eatenus attineat, qua sensa mentis exponit; melius tamen hic a nobis voluntati adiungitur, quod in ea plurimum dominetur affectus, nec bene atque vtiliter nisi voluntate concitatore fiat. Nec vero nostrum est, quod semel monuisse sufficiat, quid ad quam animae facultatem spectet, curiosius & subtilius vel indagare vel obseruare, sed solum ad meditationes bene vtiliterque peragendas, quemuis, etiam subtilitatum earum ignarum, erudire; eoque ordine singula componere, qui lectoris vtilitati potius, quam naturae vel scholarum indagini seruiat.

Iam vero quod a me de peccato tam obiter actum est ut magis tacitum quam de eo dictum esse videatur, is minime mirabitur, qui meminerit Religionis viris haec scribi, quibus non peccata sed virtutes aemulandae occurrant.

Verbo tamen perstringamus, ut si quando luce virtutis excitati peccati venialis (nam de mortifero nullus hic mihi sermo) tenebras in nobis inferpere videmus, tum vero ad eius depulsionem nos acriter incitemus: etenim peccata ipsa per se foeda, Deoque inimica sunt, mentem perturbant, rationi rectae repugnant, eiusque dominatum quantum in se est & evertunt & peruertunt, merita minuunt, progressum in virtute impediunt, nitorem caritatis infuscant, animum debiliorem reddunt, paulatimque vires exedendo, viam peccato mortifero mox intro irrupturo aperiuunt. Habent praeterea singula suam quamdam propriam foeditatem, & sua incommoda, ob quae vitari maxime debeant. Sunt etiam in homine incompositi & perturbatiores quidam affectus, quas imperfectiones passim nuncupamus, in quibus & exaggerandis & detestandis, eadem sunt argumentorum machinae ad mouendam, nominatimque in eis expendendum, quam personam nostram dedeant, quam cum susceptae vitae rationibus pugnent, a perfectione abducant, in peccata praecipitent, quam sit quae de illis reportaretur victoria gloriosa, fructuosa, heroica, Deo denique placens. Ad extremum tandem, quo potissimum pacto, melius, tutius, euelli vitia, reseruari praeuae affectiones valeant, inquirendum est; & discernendum, prudenterque statuendum, quomodo,

do, quæ rectè iudicata fuerint, constanter exequemur. Quibus cum exempla Sanctorum, eamque de qua dicemus multiplicem variorum affectuum commotionem addiderimus, en tibi quàm exundans piæ occupationis copia diffundetur: ecce enim, si quod rectè factum meditando expendis, primò ea omnia sponte occurrunt quæ de historicis diximus; deinceps verò ubi virtutem noveris, aderunt quæ de virtute, vnde postremò ad hæc ipsa, quæ de vitijs prolata sunt, cogitatione delabèris: iterumque ex his ad priora contentius revertèris.

Atque hæc sunt potissima intellectus & iudicij officia, cum de virtute meditando agitur: nec enim, quod superiore capite fecimus, hîc intellectum à iudicio fecerimus; quippe cum virtutis natura sit in actione posita, omni quæ de ea habetur intellectio, ad agendum exercendumque referatur, superuacua foret, parumque ad usum accommodata, si quæ distinctio hîc à nobis poneretur. Quis enim non videt eum qui virtutem aliquam honestate amabilem, veritate desiderabilem, facilitate comparabilem intelligat, eundem etiam, quod iudicij practici est, eandem expectandam iudicare? Hæc igitur hoc de capite dicta sufficiant.

C A P V T X I.

De permouenda voluntate.

E Quidem quæ hætenus dicta sunt eò referuntur omnia, ut voluntatem efficacius mouere possimus: hanc enim ad meliora traducere, victoria est; non traduxisse, est in ceteris operam luisse: quid enim profuerit, vel memoriæ felicitas, vel scientia intellectui, si voluntati desit bonitas, à qua sola boni, per quam solam beati esse possumus? Quamquam si quæ præcepimus obseruentur, & sapientius voluntati obiecta fuerint, fieri nõ potest, quin à quavis durissima pertinacia recedens, paulatim emolliatur.

Est autem duplex voluntatis permotio; vna quæ sensu fit, altera quæ iudicio atque ratione. Sensu vel quasi sensu solo fieri credenda est ea omnis motio, quæ voluntas aut appetit, aut auersatur aliquid, sola alicuius rei intellectui incognita & iniudicata appetentia, ex impetu & subitariè exorta: & quamuis donec boni & mali nulla ratio apparet, non sit eiusmodi motio annumeranda peccatis, in deterius tamen vergit, eo quæ ipso vitiosa est, & homine nondum digna, quo ratione & intellectu nondum est prædita; qui cum accesserit, tum verè & perfectè humana fuerit, sed vel bona vel mala pro rei natura.

Hinc tamen clarè patet quanti faciendæ, quamque acriter compescendæ sit, cuius vel sunt motus tam celeres, vel tam potentes, ut solo cuiusvis rei obiectu

rapi possit, secumque cetera rapere: id enim cæco & improviso impetu cum fiat, non potest non maximis expositum esse periculis? Eundem igitur obuiam, quod fiet si numquam inexplorato ferri quopiam sinatur, si sanctis multis desiderijs tantoperè quasi oppleatur, vt ceteris non sit locus, si denique rationis frænis obedire longa consuetudine doceatur. Hos ergo impulsus cæcos omitamus.

Alia & nostro instituto apta permotio voluntatis est, quæ cum iudicio & ratione sit, videt, & quid velit intelligit. Est verò hæc ipsa vel praua, vel recta; praua quidem si aut prauo iudicio rationique peruersæ consentiat, aut cupiditate abducatur, vt à recto iudicio & ratione dissentiat. Quod malum vtrumque perfectissimè cauemus, quando rectam eam facimus: rectam autem ita demum faciemus, si nobis probè sit voluntatis natura perspecta, & ea sedulo admouerimus omnia quæ in id quod rectum est ducant, amoueamus omnia quæ in prauum forsitan flecterent, vel à recto abducerent. Quod vt præstemus, id ratum & fixum esse debet, voluntatem ita natura sua moueri ad appetendum bonum, seu verè bonum, seu quod bonum putet, vt neque possit quidquam appetere nisi in eo boni & optabilis aliquam speciem videre se putet, neque possit non id auersari quod cum inspexerit nullam in eo nisi mali, incommodi atque fugiendi speciem videt, neque tandem possit humanitùs eius rei refutare amorem, quam sibi vt bonam, vt rectam, vt amabilem, & omni ex parte experendam offerri videt.

Et quidem certa sunt hæc, eoque notanda diligentius quòd exijs, id quod mox disturi sumus arcessetur: nec sanè difficile fuerit voluntatem ad eius rei permouere vel odium vel amorem, cuius vel mala vel bona sunt in confesso: itaque eorum, qui suspensos æternitatis expectatione non gerunt animos, nemo vnumquam laborauit, vt vel sibi mortem formidandam, vel vitam persuaderet appetendam. At quoniam frequentissimè dubitatio non exigua exoritur, Sit necne commodum, & quamuis commodum, an tamen tanti sit vt eius causa vel voluptates relinquere, vel subire labores debeant, atque hinc graues, rationem inter & sensum, exoriuntur pugnae, varioque & alternanti motu, volens nolens, à se ipsa discrepat voluntas: quando id genus dubitationis inciderit, tum certè rationationis est & intellectus suis egregiè defungi partibus, totasque quantas habet vires exercere. Etenim lux ipse est animi, solus quid verè bonum, verè malum sit agnoscit, eiusque proprium munus est, vt falsitatem detectam & depulsam luce veritatis reuincat, reiectoque, quo se fictum bonum obtegit, delectationis blando inuolucro, veram sinceramque bonitatem omni conatu profequendam offerat. Vbi ergo de cuiuspiam rei bonitate agitur, hinc mihi protinus intellectus & iudicium, seueri insurgant, sensum & delectationem ne in eorum limites inuolet, imperiosissimè refrænent, & si quo casu irruerit, seuerè indicta pœna coerceant, protinusque quam longissimè ablegent.

Quod si egregiè constanterque perfecerint, tum verò prona sunt cetera: at

D d d

hoc

hoc opus, hic labor est, quippe sensus blanduli, ille xque delectatio, furtim nonnumquam voluntati inserpit, nonnumquam quasi manu facta violentè subito xque irrumpit, vnde cum arctissima corpori cum animo coniunctio, affectuumq; communicatio intercedat, corpori autem id plurimum ardeat, protinus etiam voluntas ingenti se delectationis quasi pondere ad eadè propè rapi sentit. Damus sensui, vel illecta, vel præoccupata fauet, inuita xque abs illo auellitur, sit pugna magis anceps, & rationis contra sensum dubia victoria.

Cum igitur voluntas, quidam sit quasi communis appetitus, qui animo & corpori benè vult, quiq; totius hominis, partiumq; singularum bono experiendo, malo depellendo præest: sensum & leniter, dilucidè tamen & quam fieri possit efficacissimè curandum est, vt id quod videtur bonum, nec est, omni specie boni euatur, tantòq; minus bonum, imò maius malum esse illi persuadèatur, quo certitè boni similitudine ludificare mentem, in extremamq; perniciem præcipitare conatur. Quod quaratione præstare possimus, si interroges, non est huius loci id exequi latius, paucis tamen non nihil indicabo.

Est primò omnium voluntati certissimè persuadendum, clarèq; demonstrandum, frequenter in hominibus accidisse, vt subito oblata, subitoq; accepta voluptas, graues illis, diurnosq; & ineluctabiles dolores importarit: tum verò certam fore pœnitentiam cum depelli non poterunt, si fortè per hanc quæ nunc nobis blanditur delectationem, in damna eadè incidamus. Certè nequaquam esse committendum, vt partis vnus, breuis aliqua, & impetu rapta delectatio, impotabiles & sibi ipsi, & toti reliquo corpori cruciatu inferat. quid, quæso, id fore aliud quàm insanissima furorè insania? atqui sic insanire voluntatem, quæ illicita delectatione perfunditur, non erit demonstratu difficile si certam peccati scditatem, inexhaustam pœnam, irreparabile & inæstimabile damnum, serio cogitatu repræsentes. An verò ex ea, quæ nunc offertur, delectatione, ista consequantur, certum est, neque debere, neque posse sensum esse iudicem, sed ad intellectus, rationisq; rectæ tribunal hanc esse controuersiam auocandam.

Hæc est prima, & quo lenior, eo ad victoriam potentior recti iudicij machina, per quam in dubium reuocatur ea voluptas, quam veluti minimè dubium sensus offerebat, atque ita, periculosus ille voluntatis imperus, blandè sistitur, non illi, quod velle gestiebat, denegando, sed vt de rei conditione dubitet, vt optationem expendat suam, vt ne se ipsa imprudens perdat, admonendo: cui æquissimæ monitioni cum, nisi perditissima sit, non possit non assentiri, tum deinceps abs ista delectatione, est persona, quam assumerat, aliena remouenda, vera & propria reddenda, itaq; non bona, quod se mentiebat, sed pessima depingenda, dolosa, fraudulenta, insidiosa, periculosa, malorum in hac vita plurimorum, & post hanc vitam æternorū euocatrix, virtutis & honestatis expulsa, summi denique optimiq; Dei, bonorum omnium fontis, inimica capitalis.

Atq; hoc est alterum: quo non tantum voluptatè amare dedocetur, sed etiā
sedulè

sedulè id fiat, mox ab illicita cupiditate nō recedet solūm, verūm etiā execrabitur acerrimè, neq; tunc laborabit intellectus, vt volūtati probet ne quidē nomine bonitatis aut commodi voluptatē esse dignandā. Quis enim sanæ mētis mille talentorum iacturam dixerit vtilē, si quando per eam semiobolus acquiratur? quis illud esse bonū & vtile, quod fugacissimæ delectationis arrisu, nos omnibus diuinæ gratiæ bonis euertit, & in malorū omnium inexpiabilem voraginē letali peccato detrudit? Hoc autē vt in confessū veniat, si obtinere potuerit, penitus fuerint omnia peccata debellata, sensibusq; sub iugū missis, recte rationi obedientissimè cūcta subdētur. Quod cūm tanti sit momēti, repeto, & verbo vno memoriæ cōmendo, tria hęc vt obserues: Primò, quidquid sensui obijcitur in dubiū reuocet; Secūdò, si malū esse iudicas, speciē boni remoue, mali appinge; Tertio, nequaquā optabile, sed fugiendum & detestandum, dilucidissimè commonstra.

Jam verò vt ad virtutem, ad rectè factorum imitationem, ad perfectionē voluntas excitetur, opposita via procedēdum, suntq; ea singula sic nobis effingenda, vt ab eis prouidè remoueat quidquid auersationē, horrorem, timorem, odium, contractionem animi, aut similit̄ vllam gignit affectionem, contraria verò omnia & quę excitatiores reddunt animos, quæq; virtutis ardore succedunt, aduocemus: quam in rem faciunt ea omnia quæ de honestate, vtilitate, facilitate virtutis dicta sunt. nec est quod plura superaddam.

Sunt autem, vt ad illas deniq; propius accedamus, plurimæ numero, & variæ voluntatis motiones, quas affectum dicimus, quæ natura sua impetu ferūtur, & ad id quod gratum aptumq; obijcitur, suo pre nutu sese applicant & adiungunt: quo fit vt si prudentē iudicio, aptè & ad aliquē affectum conuenienter, aliquid voluntati offeras, omneq; id quod horrore aut auersationem pareret, dissimules, obregas, amabilitate induas, protinus is, ad quē appositè accommodata res est, affectus, in eam vi sua & propensione naturæ deferatur. Itaq; vide quæ sit, quam appetant, singulorum affectuum esca, hac illos delinito, hanc appone, & sponte ad quæuis optima sequentur. Contrà verò si aduersandum, si fugiendum aliquid docere velis, ostēde in eo non reperiri quod eos delectet, reperiri quod sit molestum, & exterreat, protinusq; illi, quos auersantes vel deterrentes nuncupare possumus, affectus excitabuntur, timor, odium, detestatio, & similes.

Primus, & ceterorum omniū excitator, ac propè moderator, est amor, qui est affectus quidam quo nobis bonum placet; itaq; & excitatur à bonitate cognita, & bonitati cognitæ negari vix potest, (etenim ea loquimur quæ vt plurimum solent fieri) nisi alicunde ei mali aliquid affingatur. Hinc virtutem alcerius, extra æmulationem positi, amare facillimum est, cūm eius à nobis pulcritudo sine labore videatur: vnde consequens est, vt in Sanctis, ijsq; potissimè quos diligimus, eius amore facilè ducamur; inde verò dum quadam istius alienæ virtutis amabili cogitatione delinimur, procliuē admodum est, omninoq; curādum, vt ad nos desſectamus, eandemq; nobis virtutem exoptemus. Et quanto digniorē,

ac præilla, cetera expresserimus viliora, tanto magis amorem in eam inflammabimus. Tum verò, quia id proprium amoris est, ut ne sit otiosus, cum incitabimus ad id quod amat totis viribus persequendum, audendum fortiter, id quæcumque propellendum quod spem consequendi retardat.

Ut autem amori diutiùs & suaviùs insistamus, iuvat meminisse quæ sit amoris magis celebrata distinctio; nempe concupiscentiæ vnum, & benevolentia alterum, apta & significante appellatione. Concupiscentiæ verò est, quando vel propter meum, vel propter alterius commodum aliquid amo, unde non tam illa res amatur, quàm concupiscitur, & quodammodo alterius causa amatur: sic cibus ob vitæ meæ conseruationem, pecuniæ ob vsunt, medicina ob sanitatē amatur, sic ieiunia, sic vitæ asperitas & duritas, corporis edomandi, & perfectionis acquirendæ causâ diligitur: sic etiam amantur ea quæ amicis bene faciunt, quæ ad illorum curam, honorem, amorem, commodum aliquid conferunt, quo sancti pacto in Sanctorum gestis casibusque relegendis, amorem quendam & pia vota in benefactores eorum, patriam, domicilium, sponte sua exoriri sentimus. In persecutores autem & aduersarios, contraria omnia conferuntur.

Alius est amor benevolentia, qui in eo sistit ut velit bonum, & in eo conquiscescat, aut etiam illud optet sibi vel alteri: sed hunc ipsum bifariam dispertior, vnumque approbationis amorem, seu amorem approbantem & acquiescentem appello, quando scilicet ita contemtor bonum, virtutem, actionem, perfectionem aliquam rei vel personæ cuiuspiam, ut ei acquiescam, eam approbem, laudem, admirer, extollam, & in vno tantæ pulchritudinis obtutu defixus oblecter: estque hic amoris sensus ad contemplationem maximè opportunus, & ex eo deinde facillè gignitur alter benevolentia amor, qui dici meritò potest amicitia & caritas, cum videlicet ita virtutes & perfectiones, vel Sancti, vel Dei Domini nostri considero, ut illas ipsis & gratuler, & optem, & adesse gaudeam, omne bonum illis velim, meæque voluntatis consensionem illis adiungam. Amicitiam verò à caritate non distinguo, quia de Sanctis, & Deo, & oratione agens, vera eos caritate diligi, nec res alias quàm cælestes & diuinas exoptari volo.

Est verò in hac naturæ nostræ corruptela, obseruandus hic amoris ordo, ut quoniam in ea quæ commoda & vtilia sunt plus æquo propendemus, & vbi que amore nostri nimio adacti alicunde emolumenta mendicamus: itemque quoniam honestum ipsum à sensibus, vulgarique captu semotum est, propterea ferè melius necesse ut qui virtutis viam init, ab amore concupiscentiæ initium ducat: quod profectò quàm sit procliue, apertè docui cum de ipsius vtilitate disserui. Quam ipsam in Deum, B. Virginem, & Sanctos transferre tanto facilius quoniam poterit, quo sunt illorum in nos beneficia notiora: fietque hoc illustrius, si in ipsum quoque corpus, & vitam animum que quotidiana & sensu contestata largitas expendatur. Eiusmodi est, etiam in eos qui Religiosas familias excitantur.

Reli-

Religiosi enim Patrum suorum sudores bibunt, labores merent, paupertate ditantur, nuditate vestiuntur, præceptis imbuuntur, disciplina excoluntur, perficiuntur exëplis, auxilio & meritis confirmantur, patrociniõ securi degunt. Vllusne vniquam parens existit qui tanta filio commodaret? Sed hinc ecce quàm parulus ad amorem approbationis datur transitus: quod enim tanto opere nobis commodum, sæpeque necessarium videmus, annon continuo vt bonum approbare, extollere, mirari, consentaneum est? Exinde tandem, si is qui hoc bono præditus est, ratione & intelligentia pollet, quid restat, quàm vt sancta eum amicitia, & inuiolata caritate prosequaris? Certè in D. Bernardo reperies caritatem fraternam ab insita homini in seipsum naturali quadam dulcedine vim sumere, indeque humorem illum terrenum, vi & quasi anima gratiæ ita vegetari, vt quasi in gemmas, ita in fructum pietatis erumpat. Idemque sanctus Doctõr tum epist. 11. tum lib. de diligendo Deo, docet necesse esse, vt, quia carne constamus, carne ducimur, nascimur; amor etiam noster à carne initium sumat, itaque id primum solere esse asserit, vt homo se diligat propter se; inde verò, quia se sine Deo esse non posse, Deumque sibi ad omnia necessarium videri, Deum amat propter se: sic autem occasione propriæ necessitatis atque utilitatis Deum frequentando & gustando, paulatim iam eum propter ipsum diligit, tanta ipsius bonitate permotus: hinc autem ad quartum illum amoris gradum tenditur, in quo Deus ita diligitur, vt nihil nisi propter illum diligatur, ad eam omnia nostra referantur, nec iam se homo nisi propter Deum diligit. Què gradum ita miratur Sanctus idem, vt exclamet, *Afferant hoc, si qui experti sunt, mihi, fateor, in hac vita impossibile videtur, perfectè illum gradum apprehendere.*

hom. 44. in
Cant.

Verùm hæc eò dicta sunt vt gradatim ad perfectiora conscendamus, debetque omnis noster amor, seu rerum, seu virtutum, seu Sanctõrum, nos ad amorem Dei Domini nostri ducere, eiusque gratia vigere. Obseruandum verò nobis est, solere quibus, causis enascuntur, iisdem quoque conseruari & augeri asseculi, nec vnquam eousque perfectionis hac in vita nos proyehi, quin imperfecti aliquid in nobis lateat; quare licet amorem illum imperfectiorem, qui suæ utilitati seruiat, prætergressi fuerimus, vtile tamen & consultius fuerit, subinde ad eam, quam ex re amata percipimus, utilitatem spectandam redire, & conceptas amoris flummas redintegrare: at in meliorem & perfectiorem quendam modum sic est ista cogitatio fluctenda, vt dum beneficentiam utilitatemue consideras, non iam propter utilitatem ames, sed ex ea ratiocineris fieri non posse, quin res, vel persona sic benefica, sic utilis, miram quandam in se ipsa bonitatis & amabilitatis copiam recondat. Debet igitur vtraque vtriusque ope res sustentari, utilitate bonitas, bonitate utilitas.

Sed quoniam toties boni mali que fit mentio, & in eis affectuum cardo vertitur, prætermittere non possum quin bonum, varium esse & multiplex admodum, malumque totidem oppositis modis accipi posse. Bonum ergo primò

dicitur id omne quod suæ naturæ perfectionem est consecutum; sic Deus natura sua optimus maximus dicitur, ita post illum proximi, sed longo & infinito proximi interuallo, sunt angeli, inde homines, non tamen ex æquo perfecti omnes, & exinde deinceps cetera. Secundò, bonum dicitur id quod sua cum altero conuenientia illi prodest & est accommodum, vt sunt ea quæcumque quæ alteri conducunt, & cum eo concordant. quod sanè latissimè patet. Tertio, bonus dicitur qui benignus, beneficus & liberalis est, qui ad aliorum commoda procuranda, & sua cum ceteris bona communicanda propèdet: qua bonitate in infinitum splendet Deus, cuius benignissima prouidentia stant, perseuerant, decurrunt sæcula, & quidquid vsquam boni est vel esse potest; elucet eiusdem imago bonitatis & in angelis & in Sanctis, perpetuaque eorum in nos beneficentia tanta est, quantam nunc nostræ huius vitæ cæcitas satis perspicuè intueri non potest. Quarto deniq; bonus dicitur qui iustitiæ, prudentiæ, clemenciæ, castitatis, aliarumq; virtutum ornamentis ditatur, quantoq; plures ac illustriores fuerint, tanto melior & est & dicitur. Sunt autem hæc per se satis perspicua, & quæ multam excitando amoris segetem & materiam præbeant.

Debentque istæ boni rationes ita tibi in promptu & quasi semper præsto adesse, vt confestim per eas percurrendo, ad multiplicem te bonitatis cognitionem & amorem excitare valeas, nec personis tantum, sed & virtutibus atque actionibus eas adaptare noris: spectari quippe potest virtus Primò, vt in natura, suoque genere perfecta. Secundò, vt animæ nostræ maximè conducès. Tertio, vt bona multa importans. Quartum illi minùs conuenit, nisi si aliarum quoque virtutum inductione atque comitatu (quod non rarò fit) illustretur. In actione verò ex virtute facta, vt in mendicatione B. Patris Ignatij, perpèdere possumus eadem, nempe Primò, quàm bona sit natura sua, id est quàm perfecta mendicatio, idque quia maximè voluntaria, planeque spontè suscepta, quia summo Dei amore, summaque rerum omnium despicientia, in tantam venerat egestatem, vt victus, vt vestitus, vt domicilium, aliena esset liberalitate sperandum. Secundò, quàm accommoda & utilis animæ eius, vitæque propòsito, & corpori ipsi fuerit: sic enim in magnam mundi totius contemtionem deuenit, ferocios spiritus, & carnis appetitus compressit, ingètes æternarum diuitiarum thesauros in calis sibi seposuit. Tertio, quàm benefica & liberalis, ac diues ista paupertas extiterit; nam & multa pauperibus ceteris emendauit, nec ipsi vnquam larga Dei manus angustior fuit, ac deinceps quasi feneratis Deo rebus, incredibiles quaquaersum auctus propagauit, diffusa, totoque orbe roborata Societate. Quarto denique, quàm fuit varijs virtutibus instructa ista mendicatio: penitentia, humilitas, caritas, patientia, perseuerantia, magnanimitas, deuotio, aliarum plurimæ certim elucet. Viden hoc amoris aurum, quàm diuite boni fodina, tibi possis effodere? At ecce, vt copiæ tuæ sit modus immodicus, tantaque inter opes inops esse non possis: ab hac actionis bonitate, ad agentis bonitatem con-

templandam transuola: est enim hoc quàm maximè vicinum; reperiesque plurimum quod ames, quod suspicias in illo; & quamquam ijs quæ iam antè cogitata similia sint, erunt tamen hoc loco tanto gratiora, quo personæ solent amabilius menti obuersari. Quòd si hinc denique ad Deum ipsum contemplatione sustollaris, tum verò extremam dignamque orationi tuæ coronidem impofueris: id tamen quomodo fieri possit, separatim, & loco conuenientiore dicetur.

Adhæc satis fuerit, vno verbo breuitatis causa monuisse, fore frequenter opportunum desistere in opposita vitia, & perperdere quantum illis mali insit, totque modis malum, quor bonum dici: est enim Primò, naturæ quædam euersio; Secundò, dissonantia & inimicitia quædam eius cui inest; Tertiò, malignitas quædam & inuidia, quæ bonum arcet, varia mala importat; Quartò, vitia plurima, fœda, probrosa profeminat. Atque hinc erga id quod peruersum est excitatur odium, eo modo, ordine, & cita multiplex vt amorem dixi erga virtutem.

Ceterùm id quoque ad extremum tenere debemus, parili ad permouendam voluntatem vi pollere bonum & malum, siue verè fuerit eiusmodi, siue tantum eiusmodi esse credatur: at verò cum neque rationi sit consentaneum, vt veris æquentur falsa, planeque presentissimi sit periculi, & propè certi exitij duce falsitate abduci, hinc nobis, quod inirio monuimus, iudicium & ratio solerti oculo vigilent, vt simulata à sinceris, à veris ficta secernant, idque semper pro certo habeant, bonum esse non posse quod non fuerit honestati virtuti que coniunctum; quod verò à virtute, à ratione, à Deo seiunctum fuerit, non nisi malum esse posse.

CAPVT XII.

Aliæ in voluntate motiones recensentur.

EX ea quæ intercedit arctissima corpori cum anima coniunctione, cum experiamur nihil deferri ad sensus, quin protinus in ipsam animam, vel percussum, vel expressum penetrat, ipsaque suo corpori tota sit sentiendi ratio; videri nouum non debet, si earum perturbationum quæ in appetitu sentiente insunt nomina, ad appetitum intelligentem, seu voluntatem transfero: ipsa enim est quæ amare, odisse, desiderare, fugere, gaudere, tristari, sperare, desperare, timere, audere, irasci perfectius dicitur. De his igitur pauca, tum de alijs affectibus qui sunt mistiores.

Cùm ergo desiderium sit motus in bonum absens, & concupitum; est virtutis, & rerum sanctarum desiderium inflammandum, partim exaggeratione honesti, & vtilis atque commodi quod illis inest, vt antè dictum est, partim sedula eius quæ in animum nostrum ex illis redundat pacis & perfectionis recogitatione. Verùm nihil ita stimulan-dis desiderijs est efficax vt amor, quare cuius amore

vehe-

vehementius instigabimur, proculdubio desiderio languescemus, huc ergo referamus quæ de amore dicta sunt. Visne desiderio imitanda Iesu Christi paupertatis flagrare: illam aestima, illam ama, expede, reuolue, ad eum vel similem modum quem habes ubi de intellectu virtutibusque tractauimus. Hoc autem semper adiungendum, (ac non in hoc solo, sed & in ceteris quoque singulis) vt contrarijs & obicibus remouendis diligenter innigiles; vnde quæ desiderio officiant, amolenda, refutanda, reuellenda sunt: cuiusmodi esse posset honoris vani amor, delicia, mollitudo, ignauia, vancordia, & plura id genus.

Gaudium verò seu lætitia cum sit quædam seu delectatio, seu quies ex bono, vel in bono præsentem quo fruitur; potest quidem non raro excitari, in eam animaduersionem se conferendo, quod plurima eaq; omni gaudio dignissima bona nobis adsint, vt quod Dei nobis fauor & gratia præstò sit, quod angeli, quod Sancti, quod re ipsa infinitus bonorum omnium inexhaustusque thesaurus, summè amabilis, summè desiderabilis Christus Iesus in SS. Eucharistia se nobis in amoris artham præbet. Sed & potest aliorum quasi gaudium sentiri, quod si cum eorum personam induens, eundem amorem, idem paupertatis desiderium in te ipso conaris exprimere, indeque pertentas quanto gaudio, quanta sui animi suauitate virtutis actiones obirent. Denique nostri ipsorum gaudium, & in rebus bonis & sanctis lætitiã, non excitamus, ac conseruamus, ei que quantum dabitur inherere debemus, quoties diuinæ bonitati placuerit virtutis, perfectionis, rerum æternarum vel diuinarum nobis cogitationem edulcare.

De tristitia, non est quod multa dicam, quando quidem hinc meliora sectamur: est tamen suus illi locus, tum quia merito & plurimum dolendum nobis est, tam esse à Sanctorum perfectione semotis, tum quia nescio quo pacto alicuius doloris interpunctu lætior existit ipsius lætitiæ sensus. Habet enim hoc dolor sanctus, qui vel de peccatis, vel de imperfectonibus, vel de beatitudinis dilatione dolet, habet inquam (quod non aliud dolor) vt ipso suo illo dolore, suauitatem cuiusdam quasi delicia in sinuet. Sed & valet plurimum, vt humilitatis & gratitudinis quasi balsamenti adhibitis, asseruari incorrupta lætitia valeat, at, quod in condimentis asfolet, cauendum ne acrior, ne quam par sit acerbior, neue diuturnior vsurpetur.

Spei verò longè maior est nobis habendaratio, & ad illam confirmandam omnes adhibendæ sunt machinæ, cum ea sit ad præclaram omnem aggressionem necessaria: faciunt verò ad eam excitandam omnia, quæ de virtutis facilitate dicta sunt, & de diuina bonitate, promissisque adiuuentis cogitari possunt; excitatam verò inflant quæcumque amorem & desiderium incendunt. Ad desperationem verò & à nequissima omnis boni peremtrice, peccati & malorum omnium potenti euocatrice, præ ceteris est cauendum. Magnis animis est opus, qui nihil opitulante Deo aggredi formident, nihil non consequi se posse credant.

Timore verò, cùm ex mali formidati & exosi horrore nascatur, sapienter vitèdum est, valerique non parum, siue ad peccata vitanda, siue ad simulandam virtutem, si prudenter adhibetur: si enim peccatum, quantumuis leue, alteri leuiori quidem, sed aliquo tamen additamento grauiori, & hoc ipsum iterum alteri, atque hoc tertium alij, ac ita deinceps sic cohæret, aut, si non cohæret, certè aliud quasi catenata serie sic allicit, vt ex vno in aliud tam sit pronus lapsus, vt ipse tua vi à præcipiti in ima casu cohibere te non valeas; quis non ad minima perhorrescat, ne per illa in grauisima pertrahatur? Adhæc cùm tot sint quibus obstringimur gratitudinis nomina, tanta sit nostra socordia, tanta pronitas in peccatum, tam perfecta Sanctorum exempla, iudicia Dei Domini nostri tam seuera, possumusne non acrius ad illa trepidare? vnquamne in animam inducemus nostrum, vel laborasse nos satis, vel satis in virtute progressos? Timor ergo non sit ignauus ad cessandum, non ad contrahendos animos vilis, non ad retundendam cognitionis aciem perturbatus, non ad obtegendam veritatis lucem tenebrosus, sed qui Sanctorum exemplis, Dei iudicijs in mediū prolatis diligentiam iriter, animos excitet, ad sui disquisitionem sedulam impellat, nostrique, se blandè decipientis amoris, insidiosas fallacias salutariter detegat.

Atque hinc opportunè animus incitatur ad audendum, vt enim in rebus alijs, vbi effugij nullus superest locus, & instat quod abominaris malum; id vnum restat, vt audacter & animosè illud à tuis cernicibus propulses; ita cùm diuinorū & seuerissimorum iudiciorum ineluctabilis necessitas incumbat, quid aliud quàm fortiter audendum, animusque omni ope & opera ad illa comparandus? restitasse, timuisse, pigritatum esse, quid, nisi ad maiorem pœnam, iuuabit? At verò in rebus illis magnis ausum fuisse, conatum esse, tentasse, pro magno habetur: & (quod non parum animos auget) insinuat se conatibus nostris bonus Deus, ipseque per imbecillas & imbelles vires nostras, præclaras de potentissimis nostris hostibus triumphos agere, victorias reportare amat. quare si nobis periuasum fuerit, copiosa & inexpugnabilia nobis volentibus à Deo esse parata auxilia, ad eò vt pugnare voluisse, sit expugnasse, sit vicisse; quis quæso hominum eò vsque ignauus erit, vt firmissimis præsidijs, certa que, & in sola voluntate posita victoria, pugnare velle detrectet? id que tum maximè cùm detrectati certissimus & exitialis est paratus interitus; non detrectantem, summa & votis omnibus optabilis, est exceptura felicitas. Certè, quæ diuina bonitas est, ea conditione nascimur, ea viuimus: nihil nobis est vel angustum, vel exile, vel breue cogitandum: ad diuina facti sumus, ab illis nostro vitio si excidimus, in miseriaque omnium miserimum barathrum detrudemur. Aude ergo, ô homo, aude; audentem iuuabit Deus; qui te antequam esses respexit, ille postquam es, & Iesu Christi pretioso sanguine redemptus es, numquam te despiciet, nisi te prior ipse despexeris.

Ecc

Au-

Audaciæ verò quasi flabrum est ira, quam & fortitudinis cotem dixere nonnulli: est enim excalescentia quædam efferuescentis animi contra id quod molestum est, & de quo vel vindictam sumere vult vel exigere pœnam: itaque ad indignationem animus incitatur rei indignitate cõsiderata, indeque demerita, vel iniuria sibi vel alteri illata pœnas iustas reposcit, quantoque vel grauius malum inflatum fuit, vel iustiores pœnæ possunt intentari, tanto potest acrius & sanctius ira concitari. Vt quid enim plurimis, sceleratissimis, grauissimis peccatis non commouebor? non mihi irascat? non diuinæ iniurias pœnis voluntarijs vlciscar, expiabo, diuinumque mihi numen propitiare conabor? Vt quid non irascat in illos, qui vel Sanctos olim persecuti sunt, vel etiamnum minoris faciunt? Vt quid non eorum exemplo exardescam in id omne, quod diuinæ gloriæ promouendæ, quod exercendæ virtuti, quod perfectiõni acquirendæ repugnat?

Sic ergo ira, sic affectus ceteri excitantur. Ad Sanctorum verò gesta propius accedendo, trifariam nobis illos inferere possumus. Primò, Sanctorum affectus quasi intuendo quales in illis existerint, vt quo amore, quo desiderio huius illiusue virtutis flagrarent, quantis animis obnitentia omnia perfringerent. Secundò, personam eorum affectusque subeundo, ira vt non iam iacturi, sed id ipsum in nobis experiri ac sentire videamur, ipsique nos in alienam transmutati personam paupertatis & virtutis ipsorum in nobis quasi in ipsis documenta capiamus: hinc enim nos exuimus, induimus alium, neque iam nostris sed alienis motibus & affectibus regimur. Tertio denique ad nos ipsos aperte palamque deuoluimur, vt ex aliorum comparatione & norma quæ debeat nostrorum morum & affectuum conformatio esse iudicemus; hinc valet ratiocinatio, hinc iudicium quo censem ex aliorum exemplis quantum possit in nos redundare, quantum deriuare valeamus, quid illorum imitatione amare, quid odisse, quid persequi, quid fugere, quid sperare, quid timere, vnde lætari vel gaudere, quid audere, quid à nobis amoliri conueniat.

C A P V T XIII.

De alijs pijs affectibus qui passim afferuntur.

Hiquidem, quos diximus, affectus videtur, ij esse omnes qui in volutate esse possunt, & ex eorũ intellecta natura atque cõditione, fiet vt illorũ excitatio, cõseruatio, moderatio, reſtrictio sit magis in promptu. Alij qui passim proferuntur affectus non nisi vel virtutũ actus, vel affectuũ modi, vel mixti sunt è pluribus.

2. 1. q. 180.
n. 3.

Ita admiratio, vt ab illa inchoemus, quamquã nullum ordinẽ certum præfigit, est, inquã, admiratio, iuxta D. Thom. diuũque Damascenum, *timor is quædam species consequens apprehensionẽ alicuius rei, excedentis nostram facultatem.* ita ille. Quod vt paulò falius, & ad vsum nostrum magis accommodatè dicamus, ab intellectu

lectu oritur, & variè afficit voluntatem, vtrunque seu in bonis, seu in malis valens plurimum, & diuissimè detinens: eius enim proprium est, vt attonitum & defixum in vnus rei intuitu animum teneat, quia contemplatur aliquid quod communem modum excedit, & cuius causas, rationes, & modum non satis capiens, penitus intuetur, dumque intueno deprehendit nihil de mirabilitate decedere, seque nondum rei magnitudinem capere, iterum intueri, iterum ignorationem suam depellere aggreditur; sed neque sic intueno satiatur, & numquam videndo expletur, quia sibi numquam satisfacit, cum nequaquam eius quam pertractat rei magnitudinem ad plenum & perspicuè euoluit, sibi que etiamnum scrutanda plura superesse videt. Itaque mouetur admiratio ex animaduersa cuiuscumque rei immodica quadam exsuperantia, quæ præter opinionem & supra quàm intelligimus cogitationis nostræ vim percellit, eamque vario affectu complecti, possumusque non solum ea mirari quæ ad nos pertinent, & in nos redundât, (de quibus maximè loquitur D. Thomas) quæque timorem vel reuerentiam pariunt: sed & alia multa & variè miramur, facta scilicet, vel facienda, rationem, modum, personam, pulcritudinè, fœditatem, bonitatem, malitiam, tarditatem, obstinationem, quoduis vitium, virtutem quamuis, omneque id quod à vulgari mediocritate discedit: imò verò paruitatem ipsam, paupertatem, penuriam mirari possum, quod nimium quantum parua sit atque indiga. Habet autem id fermè adiunctum; vt agnoscamus, id quod miramur maius esse, quàm pro nostrarum virium modulo, ita vt vel vix illud intelligere possimus, vel à nobis eiusmodi aliquid fieri non posse credamus, vel ab altero fieri potuisse vix putemus: sunt enim quæ non rei ipsius, sed adiuncti, vt fortè celeritatis causa miramur.

Ceterum cum vbi que pro re nata, admirationem concitare consuevit, quædam tamè huic maximè sunt apta: Primò quidem infinitæ Dei summi, semperque quantumcumque intellexeris inexhaustæ perfectiones, bonitas, sapiëntia, iustitia, prouidentia, potentia, & reliquæ. Secundò, Dei Domini ac Redemptoris nostri Iesu Christi bonitas, amor, maiestas, incarnationis, natiuitatis, vitæ, & actionum omnium, passionis, resurrectionis, gloriæ, omniumque quæ ad ipsum spectant contemplatio. Tertio, beatissimæ Mariæ & amabilissimæ Virginis Mariæ priuilegia, perfectio & gloria. Quarto, sanctorum Angelorum fida custodia, & in homines multiplex cura, naturæque perfectio. Quintò, Sanctorum nobilissima, in carne fragili, de truculentissimo hoste trophæa reportata. Sextò, totius huius mundi, rerumque inter se apta connexio, ordinata conuersio, perpetuæque serie continuata conseruatio. Hinc etiam in rebus singulis in suos fines omnia conuenientissimè digesta mireris, aer vt spiretur, aqua vt fluat, lapides vt subsidant, asinus vt oneribus, bos vt laboribus, equus vt cursui inferuiat. Sed & pulcritudo rerum è conuenientia plurimum, & actionum decorum, ex harmoniæ miro quodam modo prouenit: itaque

& convenientiam rerum & decorum miramur obseruatum. Septimò, in rebus ijs quæ ab hominibus fiunt, consilia, solertia, rationes cur hoc potius quàm illud adhibitum sit, quàm inexpectatò, quàm directò, vel etiam ex obliquo ad finem aptatum sit. Octauò, virtutum, vitiorum, ceterarumque vel habitatum, vel debilitatum, profectuum defectuumque modum, copiam, facilitatem, variasque circumstantias miramur. Sunt denique, quos non mediocriter miramur, inopinati rerum exitus, & inter sese pugnantium, in vnum denique consonans conspiransque concordia, vt quòd humilitas gloriam, tristitia lætitiã, profusio deiectioneque constantiam, honorem infamia, mors ipsa vitam parit.

Iam verò quoties se alijs affectibus iungit admiratio, eos non paruis incrementis auget, vehementerque confirmat, vt amorem, desiderium, odium, detestationem: cum autem ijs in rebus versatur quæ à nobis possunt effici, si non languemus animo, ardentius inflammamur, & ad imitanda quæ stupemus incendimur.

Solet autem exclamationem sibi comitem adiungere, quæ non est nisi quidam sensum suum sibi obijciendi modus, ad maiorem excitationem comparatus, cuiusmodi est & interrogatio. Has autem frequenter vsurpare, maximeque in ijs, & nondum feruore concepto expedit, vt sic detenta & excitata mens, non tantopere alienis cogitationibus incursetur: etenim in eiusdem rei cogitatione, nõ æquè tamè afficior, si menti obijcio, Magnus est & bonus Deus: atque si hoc modo, O quàm magnus, quàm bonus est Deus! vel, Nõne bonus, nõne magnus est Deus? Nec verò in solis verbis, sed in eo quod per verba sentitur, est ea ita varietas. Verùm non est hoc tantummodo quando miramur, sed in omni quæ obuerferetur cogitatione seruandum; eam enim vel planè, negando, aut affirmando; vel figuratè, exclamando vel interrogando efformare possum.

Actio gratiarum ad gratitudinem spectat, agnoscitque quanta, quàm multa, quàm præclara, in nos, & vilissimos, & immeritos, imò mala multa meritos, diuina sint beneficia. Hinc autem in diuinas laudes, tum nobis ipsis erumpendum est, tum alijs quoque, imò & quidquid vsipiam rerum est, excitandi ad eius laudationem sunt, inde verò nos & nostra omnia in ipsius honorem offerimus: ex quo frequenter oritur vt in resignationem prolabamur.

Resignatio, vt vocat, seu quali traditio, & sui suarumque rerum omnium in voluntatem diuinam cessio, affectus est & voluntas sæpè frequentanda, hominè dignissima Deoque gratissima; per hanc enim, omnem nostri à nobis curam abijcimus, Deique Domini nostri prouidentia acquiescentes, & bonitate confisi, nec optamus prospera, nec aduersa formidamus, vitæ & mortis, temporis, æternitatisque securi, id in votis habemus vnũ, vt sancta eius voluntas, & sancta decreta fiant. Quare in hac vna voluntate, multarum pariter virtutum vim conglobari necesse est; quippe hinc videas omnino obnoxie summitti animos, & obedientissime ad quæcumque maxima, durissima, diuturnissima, sine detractione, nullaque

que obmurmuratione esse promissimos, sui ipsius & rerū quantumuis dilectarum amorem ablegari, Deum vnum præcipua & singulari caritate eousq; diligi, vt præ illius vna volūrate, quidquid ceterorū est floccipendas, ideoque tantum etiā de ipsius diuina bonitate speres, certus vt sis nihil tibi abs eo euenturum vquam, quod nō sit in maius tuum bonū commodumq; cessurum, si modò (quod & vis & optas) ipsius te voluntati sanctissimæ humillimè subiugare pergis.

Formido tamē diuinorum iudiciorum sæpè vtiliter menti nostræ adhibetur exterrēdæ, vt se ipsa accuratius exentiat, & intra humilitatis modum contineat, propter seueritatem iudicij in quo latebit nihil, nihil etiā minutissimum inultum abibit, in quo de omiſſis quoque ratio exigeretur, & ab illo exigeretur cuius maiestas ferri vix poterit, potestati verò numquā in æternum subducere te poteris. Sed & alio intellectu dicuntur pauenda diuina iudicia, hoc est consilia, & casuum plurimorum, maximeq; gratiarum, ac internarum motionum dispēſatio, cuius maxima cū sit varietas, & occultissima ratio, hæremus, admiramur, ac subinde horrore vehementi concutimur, vt in sanctissimo viro Bernardo hom. 23. in Cant. legere est. Itaque ex D. Gregorij consilio & verbis, *superna consilia de aliorum vocatione, aliorū verò repulsione temerè discutere nō præsumamus, iniustum esse non posse scientes, quod placuit iusto.* Consilium, quod ait D. August. *Deo tribuimus, nobis obedientiam tenemus.* Est autē in his multæ mirationis, cum spe & timore occasio, præclarissimæ & nobilissimæ resignationi, & humanorum iudiciorum refutationi cōiuncta, dum iuxta Saluijanum contemplamur, *nequaquam iniustum posse dici, in quo diuinum esse iudiciū non possumus denegare, quia summa iustitia est voluntas Dei: neque ideo iniustum est quod diuinitas agit, quia capere vim diuine iustitiæ homo non valet. Sicut enim plus est Deus quā omnis humana ratio, sic plus videri nobis debet quā ratio, quod à Deo cuncta agi cognoscimus.* Mentisq; nostræ aciem in eo sancti Apostoli figimus, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quā incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Ceterum hæc omnia timoris, & variè mixta esse satis clarum est.

23. Moral.
c. 13. vel 18.
Ep. 49. q. 2.

Lib. 1. de
prouid. c.
13.

Rom. II.

Detestatio peccati nominatim quoque ac frequentius adhibenda est, & ex illa nostri quoque, & concupiscentiæ nostræ odium deriuandum, indeque penitentia amor, & suscipiendarum corporis afflictationum desiderium incitandum. Sed hæc vel odij, vel amoris, vel iræ sunt.

Commiseratio, quam significantius nostri compassionem vocant, non aliud est quā doloris sensus ex alieno malo quasi si noster esset, perceptus: tantoque laudabilior est, quanto iustiore ratione suscipitur. quod qua ratione fiat, docent quicumque de Iesu Christi Domini nostri passione meditata scribunt: possuntque nullo negotio ad Sanctorum labores expendendos traduci: perpendendo, quis ille qui tot aduersis exercetur? tot dura perpetitur? Et, quæ illa, quantaque sunt? A quibus illa? à Deo amicissimo, à se, ab aliis, &c. Cur, quo fructu, quomodo? Quæ semel animaduersa faci-

lè obseruantur, & ad nostros vsus, nostri per singula comparatione deducuntur.

Abnegatio propriæ voluntatis, est resignationis modus quidam, adiuncto quodam quasi odio, eius in voluntate nostra proprietatis, quæ illam à Deo separat & abducit: vnde fit vt à nobis ipsis quodammodo alieni esse cupiamus, Deoque, summo Domino nostro nos totos mancipio dare: itaque propensionibus desiderijsque nostris obstitimus, neque maiorum tantum, sed & æqualium, & minorum desideria nostris præferre gaudemus: sed & vbiicumque possumus, cupiditates quas nõ explere sine peccato licet, sedulo vigilanterque comprimimus.

Desiderio mortificationis permouemur Primò ad abneganda, & à nobis remouenda quæ sensui grata sunt, etiamsi sint licita, vt in cantu, sermone, aspectu, somno, cibo, potu. Secundò, ad ea exercenda, vel vsurpanda quæ ad sensum molesta sunt, vt ieiunia, disciplina, cilicia, humicubationes, & eiusmodi. Tertio, ad ea exoptanda, alacriterque subeunda quæ honoris cupiditati repugnant, vel animi quietem interturbant, vt tentationes, res aduersæ, iniuriæ, contumeliæ, infamia, calumnia. Oritur autem mortificationis desiderium ab exemplo Sanctorum, ex amore virtutis, desiderioque subijciendi omnia rationi, cui cum repugnent sensus, & nimia honoris appetentia, hinc odium in hos, & conatus eos mortificandi, hoc est impetum eorum sic infringendi, vt ne rebellare rationi valeant.

Contemptus rerum omnium huius vitæ, à temporarijs & perituris ad æternam, in cælum, in Deum vniuersum amorem transfert, cum quodam infimorum odio.

Imitatio sanè non est nisi exprimentarum in seipso virtutum, quas in alio animaduertimus, desiderium. De qua latius libro sequenti.

Desiderium perfectionis non est in sola virtute quouis modo comparanda, sed etiam quod in quavis virtute celsissimum est ambit.

Non est etiam nisi certæ rei desideratio, quæ cælestium rerum desiderium, & gloriæ cælestis passim commendatur.

Zelus verò siue animarum, siue honoris diuini, incitat ad multa, ad ardua, à laborum causa subeunda, indignationem in ea quæ efficiunt commouet, industriam suam omnem, ipsamque ad eam vitam in tam fructuosâ procuratione operat ponere. Vnde videas non esse nisi quemdam Dei & propter Deum animarum amorem delicatum, qui nihil quàm minimùm aduersans ferat, seque & sua omnia eiusmodi dilectioni posthabeat.

Hæc fermè sunt quæ nobis expeditiùs, & propè semper præstò esse debent, vt quouis ad meditandum obiecto argumento, in eam affectum seu motuum varietatem voluntatem nostram flectere ac versare valeamus; quam in rem non inutilem, Deo dante, synopsis extremo huic tractatui subiungam.

CAPVT XIV.

De conseruando, & in oratione augendo affectu.

Huius ipsius rei magister nullus melior quàm affectus: vbi enim concitatio inleret, & in omnē se formam vertet. Quod vt verum est quando dominatur, & radices egit, aut naturā obsecūdat, ita vbi infirmior, nutātor, aut naturā aduersus est, confirmatione indiget, nec tantū nihil celerius arefcit lacryma, sed & nihil citius euanelcit affectu, quem vt subitanea cogitatio exprimit, ita quæuis ad alia conuersio extinguit. Est igitur & conseruandus, & in ipsa meditatione (de quo solo tempore agimus) etiam augendus ac firmandus.

Quod vt fiat, est quam diximus affectuū natura & origo cognoscenda, vt cōuenienter eos quasi nutricari possis, & cū in meditando aliquē extuderis, caue ne præteruoles, at subsiste, inhere, & in eo diutiū perseuera, vt mox dico, si prius præmonero, duo quædā esse affectuum genera, primum lenē, & non aliū penetrans ad vitia expugnāda, vel virtutes inferendas, at solū benē ad pietatem afficiens, & quadam suauitate demulcens, ita vt iucūdam sit huiusmodi mysterium piū cogitatione versare. Alterum est acutum, efficax, vrgens, quod acriori impulsu ad Sanctorum, vel Christi Domini, vel perfectionis ardorem, aut vitiorum vanitatūque contemptum impellit. Illis igitur, vt se occasio dederit, vtendum, fruendum; at his incitandis gnauiter est & operosius ad laborandum, & hoc si commodē præstetur, non exiguam meditati iucunditatem parit.

Incitantur ergo affectus, tum iisdem quibus excitantur causis, iterum accuratius & clariū expensis, tum verò tarditatis cunctationisq; depulsionē, atque admotionē desiderij. Tarditas verò exoritur, vel ex laborum aut periculorum formidine; vel ex eo quod bonum parum amandū, malum parū putatur extimescendum; vel ex cōsuetudine pigritiæ, vel ex naturæ tarditate, vel defectu virium, quæ creduntur impares affectui. Quare his morbis medicina faciēda, ad mouendo contraria: laborū & periculorum formido depellēda est, grauiorum laborum, certissimorumq; & æternorū periculorū formidine veriū & certius intentata: indeq; ad spem gratiæ omnia faciliora facientis, ad benē agentis animi iucundissimā lætitiā, ad Sanctorum exempla, æternam gloriā, Christi Domini Deiq; nostri imitationem & amorem ad eō mens erigēda, vt iam & suaui equadat tot præsidij, præmij, illecebris, amore, conditus labor, & pericula, quorum non potest nisi beatus esse exitus, experantur, non secūs ac probandæ, Deoq; ostentandæ virtutis occasio. Boni verò & mali momentum vt perfectiū efficaciusq; cognoscamus, faciunt ea quæ de virtute & peccato diximus. Conseruatio autem pigritandi, & naturæ

tar-

tarditas, diuinæ seueritatis terrore exstimulandæ sunt, & meliore violentaque consuetudine euincendæ, nec à sui continua incitatione cessandum. Iam vero defectus virium, vel earum esse creditur, quæ ad rem efficiendam sunt corpori necessaria, quæ ubi deesse noscuntur, imprudentis sit id velle; vel earum que totum voluntati adesse debent, vt perseueret, & referat, tum de se ipsa, tum de vaferrimo hoste dæmone victoriam. sed de his nulla debet admitti hæsitatio: qui sperauit in Deo & confusus est? spera, & fortitudinem mutabis. hinc omnia que spem fouer, sunt ad nostros vsus aduocanda, in primis oratio, imploratio, preces ardentissimæ, his enim humilitati adiunctis Dei fauor impetratur. Quamquam hoc præsidio & iis quæ mox adiungo vehementer firmatur, & ad omnia que diximus excitatur humana mens.

Quippe quod passim in rebus omnibus accidere videmus, vt eadẽ omnia res, in sensum illatæ, variè admodum moueant, si variè inferuntur; idem homo ad alacritatem excitatus, alacres facit, qui tristitiam ciceret, si ad luctum componitur; lentos facit quod lentè incidit, quod excitatè excitatos: idem quoque in animi nostri cogitatis, & inter meditandum euenit, vnum idemque argumentum animo nostro propositum, si viuide, si excitatè, copiosè, & ad motum tractetur aptè; leniter & gratè mentem diu detinet, quod ipsum si lentiùs remissiusque reuoluatur, tædium & nauseam primo appulsu pariet. Est igitur obseruandum, & animosius cõstanterque prestandum, vt à primo meditationis ingressu, quodam concitatore modo in rem ipsam alacriùs eamus: conducent frequentatæ apostrophæ, exclamationes, interrogationes, obiurgationes, reprehensiones, eporthoses seu correctiones, sui cum alijs comparationes, sui perturbationes, colloquia cum Deo, Sanctis, Angelis, aut etiam secum, aut cum alijs personis, cõ ipsi quoque creaturis, perturbationibus, virtutibus, vitijs, cælo, terra, locis, domo, temporibus, spectatoribus, euentis & adiunctis: possuntque hæc ad res singulas, ad omnè ratiocinationem, omnè affectum variè permisceri, ad quod si animus aduerterimus, mira copia, & magna meditando incunditas patebit. Sed huius nostri præcepti proferamus exemplum quod semel assumtrum est.

Possum menti meæ meditaturus obijcere, Mendicat Ignatijs: at lentum & obtusum hoc est, itaque copiosius & acrius, meos mihi cogitatus, in eâ, quæ sequentia verba exprimunt, formam effingam. Itane verò, tunc, Ignati, tu Pater amantissime, tu vir nobilissime, (sed hic recurrendum ad ea quæ de memoria diximus) tu cui omnia ad honores, ad cõmoda supererunt abundè, tu vir excelssissimi animi, ad magna nate, tu ad mendiculorum turpiculam, abiectam, probrosam, boni & honesti indigam te vitam deijcias? Vos ego Loioleæ familiæ proceres & summates euoco, vosque maxime qui hunc nobis genuistis parentes, videte, spectate, quò vestra vobis familia reciderit, en ille in què inclinata recumbebat, mendicabilis factus est. Scilicet, ô Ignati, hoc educationi, hoc expectationi parentum referes? & hoc in eorum oculis, in excelsorum ingeniorum altrice audes Hispania? & ista aude

audes tempore quo minimè debuisti? longo rerū successu ferociens, & succenturiato sibi hæretico audacior Turca ceruicibus imminet, affurgenti Hispaniæ insidiantur Reges æmuli, bella instant, hæresis grassatur, Ecclesia proscinditur, milite est opus, & generoso, & Catholico, & plurimo, ac maximè Hispano, qui tot periculis fortiter obuius eat, qui bacchantem coërceat errorem: an te inuasit ignauia, vel delusit error, abiectis vt armis, matris Ecclesiæ gemitus non audias, otiosus mendicos inter delitescens? ad arma, bone miles, ad arma, & militiam gloriosam.

Hic verò quali responsum expectans, hærebo paulisper, eum ꝑ; amicè grauerq; respondentem audiam: Ita verò existimas, ô fili: qui de terra est, terrena loquitur; qui de cælo, cælestia; qui in carne seminat, de carne & metet corruptione; qui seminat in spiritu, de spiritu meret vitam æternam. non sic nos, vt tu loqueris, diuina in schola eruditi sumus; arma nostra spiritualia sunt, & si quæ aliquando secundum carnem nouimus, at iam non nouimus: non mihi familiarū decora, non gloriosa stemmata, non ambitiosos titulos instaurandos, docuit exemplo suo meus Iesus. potuisset ille, & suo proprio iure potuisset, Dauidicæ stirpi diadema regium asserere, Iudaici populi contra iniustos oppressores libertatem vindicare, legiones angelorū innumeras sub vexillis habere, toto quæ mundo triumphato, se deniq; splendore & gloria coruscantem attonitis mortalibus adorandum præbere: sed eos humanæ gloriæ & ambitionis tumores, æterna Dei Sapiëntia improbavit; dura, vilia, cõtemta, probrosa, hæc ipsam quam imperitè insectaris paupertatē & mendicitatem elegit: orbemq; non ferro, sed ligno domuit. Imperatoribus & regibus bellorū cura cõmissa est, nec Ecclesiæ Deus deerit, si filijs eius probitas morū non desit. Nos verò quod perfectum est sequamur, imitatores Christi simus, qui propter nos egenus & infirmus factus est, qui ad tollendum onus suum quia leue est, ad subeundū iugum quoniam suaue est, nos inuitat, nec esteo dignus qui non tollit crucem suam, & sequitur illum; qui non renunciat omnibus quæ possidet, qui cognationi non valedixit, qui adhuc gloriā quæ ab hominibus est quærit, non potest eius esse discipulus. Has ego voces eius aure sitiente bibi, has auidè excepi, & ecce pereuntiū rerū amorem omnem de corde meo, opitulante Iesu, penitus exterli, iam quæ totus meus amor, meū desiderium, gloria mea, ambitio mea, mea sollicitudo est Iesus, Iesus solus, in quo solo sunt omnia; & mihi sunt illius omnia, si, quæ in solis meis nominibus sunt, illi relinquo omnia. ô paupertatē meā, eius diuitijs diuitem! ô angustias, eius consolatione laxatas! ô contentum, eius imitatione, omni regum existimationi præferendum! Veritatem & suauitatem horum, ô fili, si caperes, quam alia loquereris? animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus.

Hic ego verecundus & ad palinodiam ex animo comparatus respondebo, Verè, S. Pater, non satis percipio quæ sunt spiritus, sed peto facias vt percipiam: insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excederēt; idcirco ipse me repre-

Fff

hendo:

hendo; tua quinetiam sequi vestigia exopto: contentus, pauper, rerū omnium indigus, exemplo tuo, Dei mei amore perpetuò degam. Cognationis, consanguinitatis, patriæ, eorū omnium quæ carnem, quæ mundum olent, æterna me capiet obliuio. Quidni sequar, quò Deus vocat? quò S. Pater præit? quò, ad æterna natos, æterna nos incitant? ergo quod inspirasti bone Iesu foue desiderium, pauperem pauper sequor, cruce, ignominias, asperrima omnia Dei mei causa subite amabo, id mihi erit gratius quod in speciem durius, id optabilius quod acerbius, id gloriosius quod ignominiosius videbitur.

Esset, in eiusdem quasi presentis personæ dialogismo, facile perseverare, quasi audiendo, eundem iterum Patrem loquentem, Fortia sanè loqueris, &c. Sed ad maiore varietatis demonstrationem, eodè argumento seruato, mutare licet formam, vt homo seipsum animūque suum alloquatur, ipseque suis desiderijs flabra subijciat. Etenim non prophetarum tantum sed & piè meditantis est, varia complecti tempora, præterita recensere, ac mox ad præsentia, mox ad futura referre, varias personas induere, dumque aliquam induit, vel subito ponere, vel aliqua loqui mixta, partim suæ, partim alienæ personæ conuenientia. Itaque hic ita ipse sibi loqui potest:

Fortia sanè loqueris, anime mi, & quæ naturā, originemque tuam cælo ductam deceant: à Deo, ad Deum factus, Deum quæris, & cum semper sis victurus, mox peritura cōtempnis, & sanè sapias: sed quamdiu, sed quam fortiter, & quò usque in hac tua tibi similis voluntate perstabis? multiformes vertumnotios expertus sæpè, quid sperabo? tussicula molestior incurrat, ad blandiora respectabis; paululū si esurieris, vertigine cerebrum laborare credes, maiora impediri bona, orationem, & id quidquid mente perficitur hæere clamabis, ergo non ad cibum tantum, sed ad delicatorem quoque confugies. Te durius qui tibi præest alloquatur, quid dico durius alloquatur, tãtummodo non alloquatur, negotijs honorationibus nõ implicet, delitescere in glorium & ignotum sinat, quid hinc facies? quam animo amaritiam recondes? id nempe vel inuidia, vel auersione metis, vel sinistra de te præcepta opinione fieri, non autem tua vilitate dignum esse, tute tibi persuadebis. Quid enim opus est grauiora proferre? tunc vt qualite malè gesta, officio aliquo abire iubearis, & æquo feras animo? vt cuius muneris curam geris, & dum curam geris, inspector & censor, iunior, & imperitor sit alius, istudque æquo feras animo? æquo etiam feras animo, vt innoxio & immeriti tibi, quasi communis perturbatori pacis, quasi grauium peccatorū reo, graues, diuturnæ, sæpè repetitæ pœnæ iniungantur? eumque & iniunctæ, & patienter toleratæ fuerint, vt mordaciter & crebro tibi regeratur quasi reus verè & semper habearis? tu, id feras? quæ credam? nõane nuper eodem quoque æstu rapiebaris, & ecce meministi? quàm ad minimū cuiusdam verbuli, quo tua de te tentari videbatur opinacula, quàm protinus in flammis totus abiisti? totus in iras exaristi? pari nempe facilitate concidunt, quæ properata celeritate gignantur.

Et quanto tibi melius foret si vulgari mediocritatis limite te coercens; pauca bona velles & faceres, quam ista magna & multa volens, inanibus te; & propè solis voris pasceres?

Certè (respondet animus) dum tu me à mihi mollitiem exprobras, & quam nimis in me regnare suspiro, inconstantiam obiectas, non inuitus audio, primūque hanc patientiæ desideratæ gradum facio: at verò, vt me à sanctioribus & perfectioribus, quasi virium modū excedentibus deterritum & abstractum, ad vulgaria & imperfectiora traducas, hoc nō feram. Ille ceticis & fraudulentæ decepticis, carnis agnosco decipulam. Itane verò? sæpè inconstans, impatiens, ambiciosus, cōmodorum amans existi: ergo semper idem existam? imò propterea nō existam: imbecilles fuere conatus? maioribus incūbam? si cecidero, acrior insurgam; si loco cessero, animosior inuadam, perstabo, vrgebo, beatumq; me credā, si ad præclara nitentem extrema dies deprehendet. Itane Beate & dulcissime Pater, carnem meam audiam & sequar? te non audiam, te non sequar? durè, contemte, neglectè viuas: ego delicatè, gloriôsè, curiosè viuam? ô lesu sancte, tot tuis, tot huius sancti tui militis exemplis si non emollior, si tot alia à te incitamenta & allectamenta in irritum abire sino, quid me fiet? quæ tua iudicia, quæ in æternum probra, quas expectare par est ignominias? Sed humilitatem, & repullas non feram: imò feram, & libens feram, ne à cælesti aliquando gloria repellar. Non perseuerabo, fatiscam, retro cedam: non cedam, non fatiscam, sed contra audentior ibo. At quomodo, quibusque præsidijs? subitōne ex imbelli bellicosus, audax è timido, è fugaci inuictus euadam? quis id credat? credam tamen, & in Domino non in me virtutem faciam. Dominus est virtutum, virtutes amplificat, vitia expugnat, pauperum est defensor, infirmorum propugnator; si mecum fuerit, in eo vincam, cadent à latere meo mille, & decem millia à dextris meis. Ergo ex hoc nunc ite, procul ite mea commoda, delicia omnes, diuitiæ, honores, voluptates & blanditiæ: vobis res vestras habetote, extrēmū vobis remitto nuncium. Veni mendicitas, veni paupertas, veni contentus, quidquid asperum, durum, probrosum est venito: vos mihi pro delicijs, pro diuitijs in posterum eritis. Scio tamen, à consuetis recedere arduum est; quodq; à teneris longa dies insculpsit, non facilè obliteratur: certè hic teneor, hic me nodus malè angit. Sed quid extimesco? adiutorium meum in nomine Domini, laqueus dirumpetur, & liberabitur anima mea. sed quis dirumpet? quis consuetudinis obicem, quasi grandem lapidem, à virtutis ostio, vt ingressus pateat, reuoluet? quis melius, quam amabilissimus & iucundissimæ recordationis Angelus bonus? certè non est qui in me plus potestatis exerceat: te ergo supplex inuoco sancte Angele, custos fidissime, tibi me committo: in me deprauata corriges; inueterata mala euellere; debilitata bonâ confirma; superbiæ, tumoris, cōmodorum appetentiam comprime; illaqueatitices vel carnis vel dæmonis insidias longius amolire; quæ paupertatis amor è retardarent, exterrerent, extinguerent.

rent, procul amoueto; quæcumq; verò illum incitabunt, animabunt, inflammabunt, hæc penitiùs & persuasibiliùs admoueto. ô vos angeli, quàm sæpè non mortales admiramini talibus quisquilijs detineri, & præ caducis ad cælestia non satis aspirare! ecce me videtis luctantem & eluctantem vt mendicitatem sequar, & subsannatis, & exprobratis: Tu non audes, quod & ausus est & perfecit Ignatius! tibi que blandiendo cogitas, An tantus ego sum, tantum quantum ille vt audeam? sed si tantus non es, cur non ergo minores, cur non pauperior es, cur non contemtor? certè ita congruit. At, inquis, multum se ipse superauit, in me ipsum tanta non possum. Videlicet, neque tanta exigo, inquit Angelus, cum enim non tantos, quantos ille, geras animos, tuos tantum est necesse superare. sed vt ad hoc non veniam, tibi, tibi inquam, quidni in dat animos sic visus Ignatius? nec virtutem quæ tum inerat, sed vnde inerat, cogita: aliùs repete, & pares estis: annon è nihilo e ductus, è peccato originis mandatus, ad sanctiora è vanitate traductus est? annon primordia, non à virtute, sed ab infirmitate cæpere? quis verò cæpisse, quis processisse, quis perfecisse dedit, nisi Deus? Deus, qui bonus est in omnes, cui si cor non occluseris, diffundet in illud dona sua, per sanctum suum Spiritum: tunc autem miraberis, & lataberis, viam que perfectionis transuolabis potiùs quàm percurres. Profectò, responder animus, dum ita blanditer loqueris, alacritate subsilio, fiducia erigor; sed audi quæso, mi bone Angele, nonne audio Beato nostro Patri id priuilegij à sanctissima Dei matre obtigisse, vt profanas & impuras omnes sæculi imagines ex eius mente in perpetuum semel absterferit? eadem sperare qui nec possum, nec debeo, eadem audere quomodo prudenter potero? Sed contra Angelus: Benè se res habet; omnino, huere deductum volebam: ad tribunal misericordiæ si venitur, impetrata sunt omnia: eandem impetrabis gratiam, præsidium idem, quod etsi non æquè sentietur, non minùs tamen ad extremum vsque valiturum est. Sed

Nimis in longum ibit scriptio, si porrò pergo, itaque indicabo quid addi possit, nempe cum huc ventum fuerit, tum Angelo comite adiri potest Regina cælorum thronus, illi que magna veneratione adstari, cum pudore, verecundia, excusatione, potest audiri Angelus illam pro me interpellans, tamquam leniter ad me cõuersa animos faciat, quid postulem exponi iubeat: tum verò amorem paupertatis ab ea petam, nõ esse cur neget, cum paupertate nil sit opus in cælis, & esse quæ me deterrent, quæ postquam narrauero, auxilium, consilium, vires petam super his: eam que tum per eius, tum per filij cum in terris degerent, paupertatem obtestabor, vt eam mihi gratiam donet. Benignè respondebit, commendabit mihi paupertatem, ea me fore ipsi gratissimum, sed à filio id impetrandum. Instabo, vrgebo, posse illam, nihil ei negari à filio, ac denique ipsa suam promittet operam, ducet ad filium

Gratias agã, matre duce & angelo comite medius, ac paululũ subsequens adibo,

bo, eius me patrocinio protegā, audiam pro me deprecātem, ei que benignē loquentē Filiū: quem interim cōtemplabor, eius amore inflammabor, miraborq; tantam maiestātē tam aliquando pauperē existisse, hinc prorumpam in laudem paupertatis quam olim subiuit, ac exinde in mei accusationem, deprecationem, postulationem veniæ & gratiæ: terreat mea indignitas, peccata reclamabunt, at summa clementissimi Domini bonitas auxilio erit, confugiam ad eius merita, ad vulnera, inde quidquid mihi desit supplebo, ibi totus habitabo: hīc verarum, sancte que optabilium diuitiarum mihi effodiam thesaurum.

Quo ditatus, & animam nouo ornatu instructus, non verebor vel sancti Spiritus ditiora dona, hoc tāto pretio emenda postulare: vel summū Patrem, vel SS. Trinitatem pro eiusdem gratiæ impetratione humiliter interpellare. Erunt autem magna humilitate adeundi, nec nisi præeunte semper & adstante matre optima Maria, securitatem quoque per merita sua præstante Domino nostro Iesu Christo. Apud illos verò adstet animus omnem planē creaturam exutus, omni imperfecto affectui renunciāns, & quocumque diuinæ maiestati placuerit ad omnia paratus; hoc semper adesse debet, tum verò copiosa, amica, reuerente mentis contentione pergendum, insistendum, consilium, auxilium petendum, vt in Soliloquijs & Meditationibus D. Augustini, & nonnullis S. Bonauenturæ, maximè in Stimulo diuini amoris, videre est.

Sed animaduertendum hac ratione vtendo, illustrari, & plurimū excitari nostrum in meditatione animum his colloquijs, id est dum cogitationes nostras sic efformamus, ac si personam, vel ad instar personæ rem aliquam alloqueremur. Quod vt distinctiūs obseruemus, animaduertenda quam nobis aliquando Nouitjs R. P. Ioannes Bargius tradidit, doctrina: duo nempe colloquiorum esse genera. Primum est eorū in quibus variè exercetur intellectus per ratiocinationē, quæ tamen, vt iam antè notauimus, non plana sit & æquabilis; veluti si sibi ipsa dicat, Humilis esse debes cū Deus & Sancti sint humiles: sed que in apostrophas & allocutiones varias assurgat, iis ipsis vtendo argumentis, exclamationibus, obiurgationibus, comminationibus, promissis, vt, Annon te humilem esse decet, cū Sanctos, cū Deum videas humilem? ô cælum, ô terra, vidistis & obstupuistis Deum humilem, & peccatorem superbum feretis? quid me misero fiet, si à superbia non recessero? ad te, Beate Pater, humillimum parentem, superbus filius, quī confugiam? ô angeli, nobilissimi sed & humillimi spiritus, hoc cadauer superbia turgens, quā execramini? Sic ad res plurimas vt se dederit occasio, nos conuertere sæpenumerò possumus. Estque hoc colloquiorum genere, tota meditatio inspergenda, curandumque, si fieri potest, vt sic continua decurrat, quemadmodum paulò antè de mendicante Ignatio descriptum est.

Alterum verò genus, quod ad præcipuarū partiū, vel totius tātūm meditationis finē claudendum adhiberi debet, est in quo iam inflammata voluntas quasi

ignescit, in Deum fertur, gestitque & ardet sanctè concupita explere, & ad hoc gratiam à Deo suo postulat, varièque illi adstat vt serua, vt amica, vt rea, vt sponsa, vt timens, vt sperans, vt audens, apud Dominum, amicum, iudicè, sponsum, terrentem, allicientem, roborantem, multisque modis alijs quibus apertè cogitationis verba affectusque conformat, se acculat, deprecatur, obtestatur, erubescit, implorat, promittit, postulat, spondet, id agit denique quod magistra docet pietas. Tria tamen sunt potissima quæ semper postulat, lumen, vt se suumque imperfectum, sed & quid sit perfectum cognoscat; consilium, vt qua via in deprehendi & euitari malum, tum bonum acquiri debeat intelligat; auxilium, vt nullis illecta blanditijs, fortiter quod agnovit malum fugiat, bonum verò sequatur. Vbi verò non de rebus agèdis, sed agitur de perfectione contemplanda, tum fermè horum colloquiorum vis omnis in admirationè, vel obstupescentijs amoris intuitum desinit. Huius autè postremi colloquiorum generis exemplum proximè habes in eis quæ ad B. Virginem, Deumque posita sunt cõuersationibus.

Ribad. l. 3.
vita B. P.
c. 11.

Et hæc quidem nobis copia exoritur de nobis tantum cogitantibus: at si hæc altera propè tanta profuerit, si eadem aliorum causa præstare, Sanctos ipsos & Deum illis conciliare nitamur. De quo plura non addam quàm vt referam quæ benè hac de re quadam in epistola P. Petrus Faber, *De ijs quæ ad proximum spectant*, inquit, non minus multa possent dici, in quibus Dominus Deus modos mihi & via dedit, veritates ostendit & vitas, vt illum cognoscam, illi de bonis congaudeam, de malis compatiar in Christo, illi amem, illum feram, illi patiar, & illi compatiar, pro illo gratias & agam & petam, & veniam ac remissionem quaram, & excusationes inueniam, & cetera Deo ac Sanctis eius bona de illo, ac pro illo loquar. Scilicet vt amicus pro amico, vt pro filio carissimo patens apud seuerum iudicem omnia pertentaret, sic si pro ceteris apud Deum intercedamus, numquam deesse poterit quod proferamus.

Sed ad hæc omnia mirè valet simplex quidam animi candor, in rem quam nunc præsentem & agendam attendentis, ideoque multa familiariter & amicè interrogantis, curiosè sciscitantis, obiectantis, responsa audientis, gratulantis, & id omne agentis quod eiusmodi euentis interuenire potuisset. Veluti si me fingam videre Ignatium mendicantem, eumque non agnitus agnoscam, intrò vocem, quis, cuias, quàm benè illi sit, quàm multa patiatur, vnde in tantam egestatem venerit: tum verò varia illi consilia obijciam, vt aliò se transferat, aliud vitæ institutum teneat: cumque in singulis attendero quid respondeat, tum verò apertè prodam nosse me quis & qualis sit, & aliorum interrogationibus conuertam, quid iuuet ita esse incognitum, cur se tegat, cur non exemplo ceterorum consulit; tum verò proprijs argumentis oppugnabo, &c.

Sic possum effingere ac si B. Virgini mox ingressæ stabulum interuenirem: rogarem vnde veniret, responderet, E Nazareth: tū pergerem, sciscitando an inde lubens aduenisset, an non vicini lamentassent, cur venisset, lutosane an comoda via, multòne suo labore, quibus colloquijs, quibus sanctis cogitationibus?

bus: an vno die iter petegisset, vbi pernoctasset? & felix hospitium! cum in Bethleem venit, quã læticia, quanto apparatu à tribulibus suis excepta esset? quis animi sensus Iosepho, quis ipsi fuisset? & eiusmodi plura, quæ si decorè, si amplè fiant, leniter & per diu animum mulcent.

Sunt autem hæc omnia quæ de intellectu voluntateque diximus, ita obseruanda, vt sibi admisceantur, & ex vna consideratione in aliam facilè transeat, nullo anxie ordine certo præfixo, sed prout occasio & affectus tulerit, cuius vt multa copia abundet, & non inuita, imò non vocata occurrat vltro, curandum est, vt eorum quæ diximus, breuis & facilis quædam comprehensio animo imbibatur. Hoc verò assequemur partim frequentata illorum lectione, partim subinde extra meditando tempora, nobis argumenta varia proponendo & laboriosè quærendo, quàm latè, quàm amplè, quibus rationibus, circumstantijs, affectibus, alloquiis tractari possit. In ipsa enim meditatione non est humanæ arti fidendum, sed diuina gratia nitendum est, quæ tamen quia nostros conatus exigit, & in mente capaciore splendet latius, idcò in hanc tantam tamque vilem exercitationem, omnis nostra diligentia magno animo conferenda est.

CAPVT XV.

Quomodo ex iis quæ ad Sanctos attinent, in Deum transeat.

Quia non verè dici potest oratio, nisi in Deum mens nostra suscollatur, & cõsulimus tamen de Sanctorum gestis & virtutibus esse meditandũ, in dicemus paucis quibus maximè modis inde in Deum euolare possimus.

Et quidem ex his ad Iesum Christum Redemptorem nostrum cõuertere mentis oculos possumus, eum spectando. Primò, vt fontem gratiarũ & bonorum omnium, de cuius plenitudine hæc ipsa, qua de agitur, gratia & virtus est hausta. Secundò, vt Doctorem, animam intus docentè, sapientiæ suæ radiis illustratè, vel vt in Euangelica aliqua sententia id monentem. Tertio, vt virtutis omnis ac perfectionis omnis, atque ad eò huius quæ præmanibus est, exemplar absolutissimum. Quarto, vt defensorem contra insidias carnis, mudi, dæmonis, cuius nisi malignam vim retunderet, non posset bonum vllum perpetrare, & tentamentis eius homo vllus obistere. Quintò, vt eum qui suis meritis est Sancto promeritus, vt nunc id bonum vellet, & posset. Sextò, vt eum qui promouet & incitat ad id quod melius & sanctius est. Septimò, vt spectatorem, agonotheram, & mercedem sanctorum operum aliquando futurum, & nunc nostris bonis gaudentem, victorijs gratulantem.

Ita igitur Dominum Deum nostrum Iesum Christum opportunè adire poterimus: si verò non peculiariter eius personam Deum & hominè, sed creatorem summum & optimum Deum nostrum velimus inspectare, siue in hac vnus magni Dei cogitatione hæsurus, siue ad aliquam SS. Trinitatis personam sumus adituri, men-

tem

rem in eum transferre possumus: Primò, iisdem oculis & animis verba, vel gesta Sanctorum spectando, quibus peragebantur: quare cum à Sanctis mente in cælum sublata, & ardore diuinæ caritatis incensa proficiscerentur, in eiusmodi affectum mens cogitantis efformari debet, & sic æstimanda sunt vt quæ in conspectu Dei creatoris ab eum aspicientibus exercentur. Secundò, eiusmodi bonam actionem, vel virtutis perfectionem in creatura animaduertens, agnoscam nihil esse perfecti nisi à Deo, in quo etiam illud ipsum longè perfectius reperire licet: atque hoc pacto singula bona pensanda, vel vt à Deo procedunt, vel vt in eo reperiuntur, vel vt aliquam quæ illi insit perfectionem indicant. Tertio, iucundum est considerare quanta bonitate, benignitate, prouidentia, & electione mirabili, Sancto eiusmodi adsit Deus, mentem eius infideat, moueat, quaquaersum gubernet, infimam quæ & indignam creaturam, donis diuinis, & sua adoptione exornet, vt filio suo coheredem, & diuinitatis in æternum participem faciat. Quarto, atque hinc mirabile istud efficitur, vt etiam operi illi mercedem se faciat Deus, & propterea sic spectari debeat. Quintò, non solum ad ea opera à Deo permotos fuisse Sanctos, sed etiam dum eos permoueret, nostram quoque, quæ hodie secutura tanto post erat, excitationem spectauit, & voluit bonus Dominus; cui de tam antiquo amore & beneficio nobis tunc antequam essemus præstito in Sanctis, summas debemus gratias: nunc autem iterum duplicatas, quando re ipsa eorum exemplo nos allicit, eorum facta nostræ menti obiicit, ac denique sua quoque sancta inspiratione nos eauerfus impellit. ita vt triplex hinc sit ad eum adspectus, nempe vt de nobis, tum etiam cum Sanctos ad meliora promoueret, quodammodo sollicitum & prouidentem; vt nunc curantem, vt eis mens nostra tangatur; vt demum suos etiam gratiæ stimulos pro sua bonitate subdentem. Sextò, hinc verò non contentaneum tantum, sed ipsa necessitate cogente non aliud possumus, quam vt ad meliora incitari, nostræque inconstantia atque imbecillitatis conscij, ad eum supplices accidamus, opem, gratiam, consilium, auxilium postulando, vt eam quam nobis inseruit, de Sanctis imitandis, de nostra perfectione, de ad amando & consequendo Deo ardentem voluntatem, rebus æquare, eiusque in nos beneficentiæ non ingratos nos præbere valeamus. Sed hoc eo fit colloquiorum genere de quo prius.

Ceterum quæ hoc capite diximus, quo breuiora, eò sensu pleniora sunt, ideoque relegenda sæpius, & memoriæ fideliter tradenda, in ipsa verò meditatione frequentius vsurpanda sunt, & comperies ex his ipsis iucunditatem copiamque permanere permagnam: in quouis enim præclarè & ex virtute factò, tot modis ad Christum Dominum, totidem, quot diximus, ad Deum transerre mentem potes; idque vel meditatione ratiocinando, vel, quod perfectius & suauius est, contemplatione animi Deum suum leniter intuenso.

C A P V T XVI.

De materia meditationi preparanda.

TRaditis vtcumque meditandi potioribus præceptis, pauca de materia præparatione dicamus, ex qua vna meditationis fructus potissimè pendet; minutiora cetera, & passim nota relinquamus.

Id igitur Primò præstandum est, vt pridie vesperi matutinæ meditationis materiam de scripto legas: ita vt probè teneas quid generatim illa complectatur, veluti si meditationis de natiuitate Domini historiam relegam.

Secundò, singula seorsim puncta seu membra legenda sunt, & ad singula subsistendum, & paucis representanda sunt nobis: v.g. leges primum membrum, tum eo lecto, à te ipso seiscitaberis, quid hic: nempe Beatissimæ Virginis à Nazareth & cognatione discedentis lætitia. Inde secundum pariter leges, & colliges in summam, Aduentum in Berleem, & repulsam quam passi sunt. & ita deinceps.

Tertiò denique singula breuiter sibi collecta proponat, hoc modo, meditandum Primò, erit qua lætitia spreis omnibus Deum vtero gestiens in Berleem ad puerperium iuerit Maria; Secundò, mirantibus Angelis, ancilla indignante, Iosepho patiente, Maria lata repulsam à Berleemitis sit passa; Tertiò, quanto gaudio & paupertatis amore speluncam sit ingressa, quanta ibi & quàm admirabilia mysteria sint peracta.

Atque hoc est primum preparantis munus, quo efficitur vt materia parata sit ad nutum, seque promtè offerat. Quo peractò, restat vt sedulò prospicias, quomodo & quantum spiritualis lucris, ex hac tibi proposita auri vena cupias effossum.

Primum ergo ad singula meditationis membra redeundum, pauloquæ attentius mente considerandum, quid rerum istic agatur, qua res istæ connexionem, quo decursu, & circumstantiarum complexu hiant, iuxta id quod in cap. de memoria dictum est. Inde inquirendum est quid iudicij ea de re ferri possit, an fuerit proba, honesta, facilis, utilis, mirabilis, naturæ virtutiue consentiens, quomodo, quo consilio, quibus animis, quo euentu. Sanctis Deoque spectantibus peracta: ceteraq; quæ de intellectu docuimus. Tertiò, in rem nostram quomodo id omne traducendum sit, obseruare oportet; vt videlicet per ista vel cognitioni sanctæ lumen atgeatur, vel pio affectui, diuinoque in animum influxui vis maior addatur: quam in rem notari expediet vbi amor, vbi spes, vbi ceteri affectus opportuniùs excitandi videantur, quando & quomodo vehementius roborandi, vbi apostrophis, vbi colloquijs vtendum erit. Suntque hæc sum-

Ggg

matim,

matim, & quasi in capita, quodam mentis intuitu providenda, atque ut proximo manè exerceantur & differenda & digerenda.

Matutino verò tempore, numquam omninò in meditationem repentinè rumpas, sed antequam in eam ingrediaris, iterùm in memoriam reuoca eam breuem, quæ dicta est, partium singularum summam, & modi eius notationem, quem in singulis obseruare debes, ut fructum commodè capias. Et quamuis vel tardiùs quàm debueras ad meditando accedis, vel urgeat negotiorum moles, quæ tempus recidit, ne tamen hanc præmeditationem omittes, potiusque tantillum id spatij de meditatione detrahe, aut quasi meditationi datum computa. At verò in ipso meditationis vel exordio, vel præludio pensulatiùs hærendum, menteque in vnum Deum translata, omnis ea veneratio intendenda, adpotanda diligentia, & adhibenda est cautio de qua cap. 6. & 7. dictum est: exinde verò plenis velis, memoria, intellectu, voluntate, in meditationis altum, afflante spiritu ferri oportet.

Sunt autem tum in præparatione, tum in ipso meditationis cursu, distincti affectus quidam leniores, qui rebus quodammodo insunt, & quadam quasi suauitate mulcent, ab ijs qui grauiores, expressiores, laboriosiusque sunt quaeriti: leniores & leuiore sunt, qui in rerum probabili de cursu existunt, & ferè circumstantijs adherent, ut tempus, modus, modestia, mansuetudo, amabilitas, quæ singula meditantium animos bene afficiunt, suntque instar colorum, vel ornamentorum, vel emblematum, quibus res tota gratè conuestiatur: quare magni faciendum est, in his bene esse exercitatum: sed in horum tamen singulari non est diuturnior mora texenda, vel laboriosior opera collocanda. At verò in grauiore illos affectus, qui ad solidas virtutes, ad perfectionem, & ad Deum sanctiùs ducunt, totis viribus est incumbendum, atque ad eos, cetera quæ fiunt, destinanda sunt omnia: sine transcurrendi sollicitudine, inhærendum, insistentium, idem iteratò & sæpiùs commendandum, & penitus animo insculpendum varijs, ut diximus, apostrophis, obiurgationibus, adhortationibus, implorationibus, admirationibus, antithesibus, colloquijs, quæ omnia inflammatum bene orandi desiderium excitabit; volenti que, gratiam copiosam non denegabit bonus & liberalis Deus.

Cauendum tamen, ne præparatione ita diligenter peracta, videantur animo nostro quasi compedes inijs, ut nec celeriùs, nec vltra, audeat progredi, instar que eorum qui ad dicendum certa sibi argumenta præfixerunt, sic in meditatione anxius, ad præcogitata respicit, tam præuertendi aliqua, quàm omittendū timidus: at, magna cum libertate animi, Deo soli fidendo, est meditatio peragenda, idque spectandum atque perpendendum accuratiùs in quod propensior rem animi sensum ferri sentiemus: fiet que non rarò ut quod minus præuisum fuerat id præ ceteris accideat magis.

Quamuis autem vel meditando vsu, vel solita illicò affluere motione, experiamur

riamur sapius, per facile nobis esse affectu, & vix vlla ratiocinatione sanctis cogitationibus occupari: ita vt pio motu protinus correptis, vix vlla abundantiore materia sit opus; consultius tamen est, Beati Ludouici Gonzagæ exemplo, se dulo se præparare: sic enim exercetur pietas, humilitas non sibi sed Deo fidens conseruatur, & ad orationem cum ea, quæ Deo debita est, reuerentia acceditur. Astuse est, fraudulentèrque decipientis dæmonis calliditas, qua nos ab hac præparatione auerit, persuadens, frustra id tempus teri, cum vna res obiecta sufficiat in totum meditationis tempus, aut cum sæpè id meditati simus, & materiam de memoria teneamus: melius fore si aliud aliquid egerimus: sic facile cedimus, & malè cedunt omnia: vixq; aliam crebriorem, & ad plures pertinentem causam reperies, cur es languida, otiosa, infructuosa reddatur oratio, quàm quòd ea, quæ deberet, præparatio non adhibetur. Indeque forsàn non malè idem docemur, quòd non casu, sed omnia ordinantis Dei consilio factum est, vt linguà sacrâ, ieiuna quidem illa, & in eloquendo sterili, at fecunda sensibus, eadem dictio *WTP* quæ sanctificari & sanctum esse significat, eadem quoque significet destinare, segregare, consecrare, ab vsu profano semouete, ad Dei cultum aut vsum seponere, accommodare, certoque ritu præparare: quasi si sanctitatis & præparationis rationes tam insolubili nexu iunctæ cohæreant, vt neutra possit ab altera seiungi, profanusque sit futurus qui animum ad profana profuderit, sanctus verò qui ad sancta sollicitè se compararit, imò & sanctitatis modum, pro apparatus modo sit consecuturus. quippe nobis cum tam copioso & liberali largitore res est, vt quàm ad accipiendum parati, tam sit ad effundenda maiora dona propensus. Probare possem, sed quid opus est: te ego, quisquis hæc lecturus es, per tuam salutem, per Christi viscera compello, proba tu ipse, periculum fac, te ipsum vince, vim torpori infer, diligenter & constanter ad orationem te compara, & nisi hæc vera compereris, tum verò plani & impostoris mihi crimen impinge.

C A P V T XVII.

De applicatione sensuum.

EX ijs quæ de meditatione dicta sunt, iam nobis expeditius fuerit, ea quæ restant perstringere: isti enim prorsus innituntur, & per illam, ad reliqua summa omnia, facilis patet aditus.

Et quidem applicationem sensuum nuncupauit B. P. Ignatius, pium quendam modum historica Christi Domini, atq; ad eò Sanctorum gesta, mente reuoluenti, inquirendo id quodecumque sensibus excitandis esset aptum, & vt loquitur, *quinque imaginarios sensus circa ea exercendo.* Inest enim phantasia, & animo nostro

vis quædam, qua sensuum motiones omnes, & delectationes aut auersiones, ipsa sibi possit effingere, illisque haud multò secùs, quàm præsentibus tangere permoveri: quam vim ad hoc orandi genus quando conferimus, quærimus imaginariè videre quidquid de re illa sancta, quam nobis quasi præsentem fingimus, videri potest; audire, quod audiri; olfacere, gustare, quod olfieri & gustari; tangere denique quidquid tangi potest, ut vestimenta, loca, & quidquid decorè effingitur. In quam rem ea sunt apta omnia quæ propriè sensus ferunt, ut lumen & color oculos; soni & voces, aures; odores, odoratum; saporès, gustum, tactum verò ferunt calor, frigus, siccitas, humor, graue, leue. Sensuum quoque sunt figura, magnitudo, motus, quies: distantia, vicinitas, situs, continuuum, interruptum, asperum, læue, molle, durum, transparentes, opacum, liquidum, solidum, pulcrum, turpe, simile, dissimile: de quibus vide nostrum Riccium p. 2. tract. 7.

Interdum, sed rariùs, quinque sensuum singulorum exercendorum materiam aptam reperies, ut in meditationibus quæ de incarnatione, natiuitate, passionibus, peregrinationibus, & passione Domini sunt: interdum cuidam, ut obfactui, & gustui, sua deerit aptior materia; tum autem & erit in ceteris diuinitas inharendum, & ratiocinando ad quandam odoris & gustus similitudinem mens nostra traducenda, *interiore*, quæ B. Patris verba sunt, *gustu & olfactu sentiendo, quæta sit suauitas & dulcedo, diuinitatis, anima, eiusq; virtutum, ac ceterorum omnium, iuxta rationem persone quam consideramus.*

In harum autem incorporalium rerum gustu & olfactu, cum sit perdifficile odorem à sapore secernere, ne in his parum vtiliter distinguendis multum laboretur, B. Pater simul vtrumque coniunxit: atque isto modo passim & vulgò, plures vti conuenit. Nil tamen impedit, quin ex varia horum sensuum functione, distinctam quandam vim delectabilem in rebus eiusmodi discriminare possimus: nam si rectè philosophabimur, odor nobis lenè quoddam delectamentum afflat, quod nos nulla naturæ necessitate detinet, nulla grauiore vtilitate afficit, at allicit, at blâditur, & lenissimè demulcet: gustatus verò, vitæ nostræ, valetudini, & reficiendis viribus est magis necessarius, & quæ per illum percipiuntur, longè acriùs vel obsunt vel prosunt. Iam ergo in diuinitate, in anima sancta, in virtutibus, in persona Iesu Christi Domini nostri, Beatæ Mariæ, & Sanctorum, quædam elucent quæ splendore, amabilitate, modestia, decoro suo, non aliud quàm leniter nos alliciunt, suauisque oblectatione perfundunt; hæc ego odorati comparauero, putemque odorari virtutem, non aliud esse, quàm placida quadam quiete perferentiscere, quàm suavis & accepta sit. At verò gustatio virtutis est, cum in ea fortiores quædam deliciae sentiuntur, quibus ita mens quodammodo ebriatur, vel virtutis ac sanctitatis contuitu absorberur, ut suæ inimitatis oblita nouas vires induere, meliora multa persequi sit parata. hoc profectò sanctè gustare, hoc est istiusmodi virtute exemploque fulciri, hoc denique nutritione laudatissima mentem suam æternæ vitæ consecrare. Ita que quod

vali-

validius, quod robustius, quod magis vitale est, quod neruos vel virtuti addit, vel vitio incidit, hoc ego ad gustatum cibatumue referre maluerim: quod verò lenius, blandius, delectabilius arridet, atque ad se molliter inuitat, id verò ad odoratum & olfactum propius artinere putem. Quæ animaduersio id etiam obiter docet, vt in rebus & tactis cum sanctitate coniunctis, horum vtrumque queramus, nempe vt ex eis lenis quidam & iucundus personarum aut rerum sanctarum sensus excitetur: atque inde cooriamur vegetiores, perceptæque atque imo animæ nostræ sinu, quasi ventriculo, digestæ, & quodammodo incoctæ sanctitatis succo nos reficiamus, vires instauremus & augeamus, animique vitam beatæ immortalitati nutriamus. Verumtamen si cui, & si quando minus erit promptum, hoc vtrumque distingui, nihil admodum vigeo; potest eodem numero id omne censere, satis id fuerit, si se vtiliter exercuerit.

Non est autem huic orandi generi certus aliquis finis, ad aliquam virtutem, piæque affectum propositus, sed per totam rem aliquam gestam, quasi per amplum quendam & amœnum, variæque consitum hortum vagatur, & sensus animi oblectat, veluti si in horto illo modò fructus rosæque manu carperet, modò naribus admoueret, gustaret poma, gratos lenè fluentium riuulorum susurros audiret, vermiculatos plurimorum horum colores miraretur: eodem nonnumquam momento temporis multigenam varijs sensibus delectationem hauriret, abrumperet nonnumquam, abruptamque reuocaret, reuocaram paulò post alijs commutaret, & sic multipliciter alternando grata vicissitudine sensus illuderet. Ita planè nobis hic agendum est, sit nobis instar areolæ, instar horti & viridarij, sancta ea quam spectamus historia, sit personarum, sit virtutum, rerum, euentuum varia & implexa quædam series, sua non desint diuerbia, motus, expectationes inopinæ & anxietum verò si probissimè rei gestæ ordinem ac partes omnes tenemus, in eam ingrediamur, serioque vt si sub oculos nostros id perageretur, partes omnes, partiumque singularum circumstantias, tam quæ factæ, quam quæ probabili coniectura esse potuere, perscrutemur, curioseque & cupidè singuli sensus quid suum sit à singulis hauriant, tumque re ipsa sentiemus quam iucundum sit hoc exercitium, & ad maiora nos præparet.

Vult autem Beatus Pater vt illa iucunditas vtilitate condiatur, neque tantopere delectemur alienis, vt nostri memores non simus: itaque præcipit è singulis vtilitatem nostram elici, omnia in vsum nostrum attrahi, adaptari nobis que fructum aliquem afferre possint, vt fiat nobis deuotionis, vel boni cuiuslibet spiritualis maior accessio. ita ille.

Cetera quæ hac de re desiderari possent perantur è cap. de Memoria, videaturque vt summa & accurata veritatis, probabilitatis & decori ratio habeatur. In ipso verò vsu, variè sensus misceri possunt, vt interdum ab eis quæ sunt

Ggg ;

visus,

visus, interdum ab eis quæ sunt auditus, vel aliorum inchoetur, tum deinceps ex vno in alium sit frequens transfultus, non alia quam rerum ita postulantium lege seruata.

C A P V T XVIII.

De contemplatione.

Quid sit contemplatio, & quomodo à meditatione distinguatur, videtur vel solo nomine præferri: quippe contemplari, est attentius contueri, & contemplatio quidam est contentior intuitus, qui (quantum ad rem nostram facit) in res diuinas, aut sacras, quasi in conspectu diuinæ maiestatis, ex aliquo sacro fine perdurat, fermeque admiratione atque amore continetur. Ergo contemplantis animus, quasi obtutu in vno defixus hæret, eiusdemque perfectionis ac pulcritudinis ardenti amore absorptus, ab ea non recedit, videt, nec videndo satiatur, & quo penitiùs videt, eo magis ad videndum inardescit! Cum tamen meditatio ratiocinatione ex vno in aliud feratur, & rebus aut affectibus varijs inquirendis, cum labore inuigilet.

Est autem duplex contemplatio, perfectior vna, altera imperfectior: imperfectior est, quæ mysterium aliquod, vel virtutem, aut personam paulatim partiteq; contemplatur, modò hanc, modò illam partem amore dignam contemplando vel admirando. Quod contemplationis genus, ad applicationem sensuum proximè accedit; quippe velut illa, paulatim ex vno transit in aliud; ab ea verò recedit, quòd applicatio sensuum ea omnia & sola vestiget, quæ sensibus mouendis apta sunt, contemplatio verò his omissis alia præstantiora se Ætat, in personas, in res, in honesti, decori, perfecti, rari, admirabilis, occulti, iusti, æterni, & eiusmodi formas intuendas abripitur.

Perfectior verò contemplatio vel tantam varietatem non amplectitur, vel eam totam vno quasi lucis radio collectam comprehensamque speculatur: hoc autem facit, dilatione quadam liberrimè circumquaque diffusæ mentis, multa simul eodem contuitu complectentis. Quod profectò donum Dei singulare est, cor dilatantis, sapientiam donantis, intellectum scripturarum & mysteriorum infundentis; ad quòd tamen meditatio frequens & sedula multum conducit, tum vt id prece multa impetrare, mentisq; puritate possit capere, tum etiam vt ipsa frequentatione ad Deum accedendi illustratio euadat: etenim non malè moniti sumus, Accedite ad eum, & illuminamini. Ac quemadmodum si quis tabulam multa rerum varietate depictam sapiùs intuetur, si per amplius aedificij partes omnes collustrat curiosùs & frequentius; is facili negotio totius illius picturæ, totius item aedificij vnam sibi ideam animo repræsentet: ita

ita sanè qui frequenter, qui magno sensu aliquam vel Sancti alicuius perfecti-
onem, vel vitæ Christi Domini nostri partem meditatus excusserit, is paulatim
Deo dante id totum vno mentis intuitu comprehendet, & lenissimè in eius con-
templatione acquiescet.

Sed quo latius diffusa, quo penitiùs penetrans, quo celsiùs ad sublimiora e-
recta erit contemplatio, eo mirabiliores pariet effectus, animumque à carnis
& pereuntium rerum omnium contagione secerner. Hæc enim est, per quam,
vbi perfecta fuerit, humana mens in veram spiritus libertatem asseritur; per
quam in hac vita corporis, Angelorum vita viuatur: imò verò iuxta Apostolum
non iam ipsi viuimus, sed viuunt in nobis Christus, in quo sumus, viuimus & spi-
ramus, de tenebris in admirabile eius lumen translati. Hinc perfecta rerum om-
nium harumce, & hominum despicientia, hinc luxuriæ & cupiditatum omnium
triumphatarum plena subiugatio, hinc summa sensuum, motuum, cogitatio-
numque tranquillatio, ad æterna suspensio, & in abrupta cum summa Dei ma-
iestate coniunctio.

Quæ tot & tanta bona, partim & potissimè, munifica optimi Domini Dei-
que nostri liberalitate donantur, partim etiam præstantioris contemplationis
dignitati sunt admodum consentanea: quippe sic contemplans anima, suorum
sensuum, quin & interdum imaginariæ facultatis angustias egreditur, nobilissi-
mis & spiritui conuenientissimis delectationibus pascitur: quid ergo mirum, si
suis & sanctis, & veris, & proprijs oblectationibus delinita, incipiat carnis obli-
uisci; quæ toties, heu! prauis, falsis, alienis voluptatibus inescata, se ipsam & ne-
sciuit & perdidit?

Iam verò caput 26. ex quacumque re quæ Sanctis contigerit, contemplationi
materiam suggeret. Formam verò partim ea quæ in cap. de Memoria, & hinc di-
cta sunt, partim cetera quæ in caput vigesimum consulo distulimus.

C A P V T XIX.

Quàm expedit orationis varia genera intermiscere.

QVod in vsu medicinæ cernimus obseruari, singularum herbarum medica-
mentorumque cognitionem, quanto fieri potest accuratiorem, plurimum
conducere ut tanto aptius perfectiusque permisceri deinceps possint: idem in
his orandi generibus est præstandum, & quo melius singula pernoscentur, eo
expeditiùs & conuenientiùs inter se miscebuntur: nec est instructuosum, quid
ad quod orandi genus referatur, probe nosse; ita enim quid in eo genere faci-
lius, quid ad illud conducatur obseruabis. quod nisi feceris, perpetuò laboribus
in orbem, dum nulla notatione, in incertum delatus & fluctuans, id arripies, id
secta-

sectaberis vnum quod magis aut prius arriserit, aut occurrerit. Est igitur intelligendum vt agnoscas, quid ad quod orandi genus atineat.

Etenim quemadmodū volūtas, intellectus, memoria, vnius animæ indiuiduæ sunt facultates vna in radice coniunctæ, vel, quod nonnullis placet, vna volens, intelligens, memorans anima; ita omnino consequens est, vt quæ ab illis existunt operationes, admodum sint assimilæ & connexæ, quæque licet ratione distinguantur, rarissimè tamen tempore seiungi possint, vniūque motus ceteras pariter & simul impellat. Itaque cū aliquid memoramur, experimur quàm confestim intellectus pro rei conditione aut prober, aut improbet, simulque voluntas aut amet, aut oderit. Atque ex hac tanta connexionē aliud oritur, nempe, vt vix vquam videre liceat, vbi animum aduertente homine vnica & sola harum facultatum agat; vbi memoretur, nihil volens, nihil intelligens; vbi velit, nec memorans, nec intelligens; vbi intelligat, nec memorans, nec volens. Quare quòd antè separatim de singulis egerim, doctrinæ causa factum est, & vt intelligeretur quid cuiusque proprium, vnde facilius & rectior vsus existeret. Ac præterea nec imperitè, nec absone dicitur aliqua oratio, vel orationis pars, memoria, voluntate, vel intellectu fieri, in qua vel repræsentandi, vel appetendi, vel intelligendi non singulares, sed potiores sunt partes: sic in applicatione sensuum memoria, in consideratione intellectus, in meditatione primò intellectus, deinde idem pariter cum voluntate dominatur. At in contemplatione vt plurimum voluntas, quamuis in nonnullis mysteriorum reconditionum contemplationibus, quamvis in nonnullis maiorē complement lumine, dubitari non immeritò possit, annon ibi maximè vigeat intellectus, non quidem ratiocinando, sed videndo & intuendo absorptus: quamuis enim voluntas ingenti amore recalescat, lumen tamen & cognitionis elargitæ claritas, non tantum eius est causa, sed etiam est id summum & præcipuum, quod in eiusmodi dono agnoscitur.

Aliud quoque ex hoc ipso harum facultatum confinio, naturali que coniugatione exoritur, nempe vt vna per alteram validius confirmetur, nec facile nisi fuerit duabus alijs obistere: quare cū prauitatem vnius volens corrigere, supplicat ab alijs duabus implora, & si constanter perrexeris euinces. atque hoc vnum si subtiliter, si opportunè obseruas, non exiguum, ad vitam omnem è virtute traducendam, commodum reportabis. Quod vt exemplo videas, faciamus tibi alicuius non satis probæ rei memoriam infestam esse; vt hanc euellas, vitior iudicio, atque voluntate; illo, vt auersandam iudicet; hac, vt re ipsa auertetur, & ad alia se conuertat: cui si etiam accesserit, vt prudenter iudicio utaris, ad meliora memoriæ imprimenda; certè opitulante Deo, memoriæ prauam obliterabis. At, si voluntas affectu rapiatur ad amorem improbum; memoriæ & intellectum illi oppone; illam quidem vt lentè, vt remisè in rem illam feratur, quin (si fieri potest) vt eam quasi odio & auersione dignā repræsentet, aut etiam nullo modo in eam feratur, aliò distrahat, mira quædam & horrenda sibi ob-

ijet,

ijciat, quibus pauca facta aliorum conuertatur: intellectus verò perpetuò & vehementer, peccati & diuinæ offensa grauitatem, damnaque secutura obiectet, recti & æqui amorem inflammet, mirumque fuerit nisi sensum voluntas corrigatur: si denique peruersum distortumque quiddam in intellectu deprehenditur, veriores prætioreque imagines memoria efformet, voluntasque illum ad reiectiora conuertat, & non ægè dirigetur. Sunt verò hæc ipsa in meditationis vsum deducenda, vt in ea quoties alicuius facultatis animæ prouitatem oppugnare volumus, id perficiamus per alias, quæ in idem vitium non eodem impetu feruntur.

Iam verò orationis varia genera frequenter admodum permiscuntur, idque ex dicta facultatum animæ cognatione originem ducit. Miscuntur autem ea parte facillimè, qua sibi similiores sunt: quare cum consideratio dirigatur ad affectum, sed maximè ratiò in intellectu versetur, nec affectum inflammet, sed quid factò sit opus iudicet: meditatio verò, ratiocinetur quidem, sed permiscendo affectus, eosque inflammando ardentius; facillimè vna transit in aliam: consideratio in meditationem, cum inardescit in rei considerata amore & auxilium, consilium super ea poscit à Deo: meditatio verò in considerationem, cum lenato affectu, exquisitiùs rimatur vias & rationes opportuniores aliquò pertingendi, quod sæpè non minorem ipsa meditatione vtilitatem affert. Consultum autem est iterum ad meditandum se erigere, & concitandis affectibus intendere, omnemque considerationem aliqua saltem breui meditatiuncula, vel meditationis imitatione concludere. Meditatio verò ad contemplationem assurgit, quando affectu constantius & actius incitato, ratiocinari desinit, amandoque & admirando, arque sanctioribus acquiescendo lætatur: indeque ad meditandum redit, si quando vnus rei intuitu lassata mentis acies, cupit longioris moræ fastidia ratiocinationis varietate condire. Id autem vel potest contemplantis imperfectione contingere, vel ex ipsius aliquando sterilitate materia.

Applicatio sensuum & meditationi & contemplationi facile inferuit: nam & ad ratiocinandum permouemur à sensibus; & ex eorum perfunctione, ad insensibiles notiones manuducitur ac proritur intellectus. Hæc autem adeò sunt facilia, vt exemplis id probare superuacaneum sit, iamque est nobis portus respectandus.

Quasdam autem comperies meditationes, argumenti quasi ingenio tam versatiles, vt in id vnum genus aptas dices in quod eas contuleris, cum ad quoduis promptissimè referri possint: vt sunt de incarnatione, natiuitate, vita & passione Domini nostri Iesu Christi, quas siue ad considerationem, siue applicationem sensuum, siue meditationem, siue imperfectiorem (quam diximus) contemplationem totas conferre volueris, perinde facile possis. nec inutile fuerit seu exercitationis maioris, seu cognitionis perfectioris causa, variè per omnia genera illas versare.

Hhh

Denique

Denique nonnullas quoque fortè iudicabis, non tam meditationis, quàm dissertationis alicuius & probationis vim sortiri; qualis illa quæ de sermone in Monte. Sed re vera, ex illis nullo negotio considerationis eximia quædam eruitur fecunditas: ac præterea multa potest meditans, virtutum & rerum benè agendarum præcepta, ac proposita diligentius persequi. Sed longè fuerit præstantius, si quis præclara mentis firmitate ac celsitate subnixus, in Deum ex illis extollatur, consilia, providentiàm eius contempletur, eas homini rationes quomodo aperiat, & in hac rerum atque argumentorum creata veritate, æternam & ingenitam Dei summi veritatem amet & admiretur. Quòd si cuius ingenium nihil horum satis capiat, non grandis est iactura; bonum factum, per me licet, vt dissertationem legat, & sibi ad meditandum, quod aliud magis arripserit eligat: quid enim disceptato opus est? annon suum cuique palatum: & cuidam, tres ipsi conuiuæ dissentiebant: & verò quis adeò insaniuit vniquam, vt alterum ad alterius gustationem adigere sit conatus? Vtere ergo, fruere, vt licet, vt liber, faxisque vt propitio bono Deo, benè lubeat.

C A P V T XX.

Vbinam antè dicta orandi genera docuerit B. Ignatius.

CVM ad totam vitam Asceticam & ad Religionis dignitatem formamque conseruandam, plurimum sit in oratione momenti, eaque vna vel maxime Religiosus decor contineatur & enitescat, æquissimum est vt quo fonte ista in nos deriuetur ostendam, suamque secundum Deum gloriam vni B. Ignatio referam. Dicam quod res est, sæpè non mediocriter displicuit, mutantes ab ipso videre, & tam dissimulantes, nec auctori laudem debitam reddentes.

Nobilissimum, quod ad orationem attinet, Ignatiani spiritus monumentum libellum Exercitiorum habemus: quo in vno continetur quidquid de oratione mentis certa præceptione comprehendi potest. Ergo docebimus quàm ex illo ducantur omnia quæ de perfectissima atque suprema oratione dicuntur. Quod vt ordinatiùs fiat, Primum sit:

Art. I. Quo scribendi genere liber Exercitiorum comprehendatur.

Ex hoc quaesito docebimur, quid sit cur nonnulli minus ei libro tribuant quàm par est, & quàm ceteri agnoscunt. Itemque cur res maxime arcanas docens, & clarissimè demonstrans, vix eas attingere videtur. Quare quod ad rem nostram facit,

Duos sunt scribendi genera. Vnum est quod Acroamaticum dixerunt, aliud quod

quod Exegeticum dicere possumus; hoc passim vsurpatur, istud rarius. Exegeticum est, quod disserendo, exponendo, narrando, suumque, quodcumque fuerit, argumentum elucidando, ita progreditur, vt lector attentus, nec illiteratus omnino, scriptionis istius, vel omnia, vel saltem potissima sensa percipiat. Acroamaticum verò est, quod sit eiusmodi, vt in penetralia scriptionis istius arcana, vix tanto ingenio reperiatur quisquam, vt possit sine doctore sola lectione perducere.

At hoc ipsum duobus modis contingit. Primò & sæpiùs, affectatione scriptoris, verba lectantis obscuriora, noua, alieno sensu, obsoleta, grandia, magnumque & mirum quid sonantia, cum hyperbolis, multisque metaphoris implexis, ad eò vt omnia tenebrosa quadam caligine inuoluantur, non secùs quàm Egyptios hieroglyphicis, mythologos fictis fabulis, mysteria sua quondam texisse accepimus. Et quidem verborum inuolucris varijs, sua tegetium, exempla passim in Alchymistis decantantur: videas & in arte Lulliana istud grande sophos. Nec sibi ab hoc tumore cauere potuit contemplatio, quin tot eam ampullatorum verborum anfractuosis ambagibus, contortisque & imaginosis translationibus inumbrarent nonnulli, vt in meras tenebras res illa migrasse, & errorum mater esse videatur, quæ quàm dilucidissimam animo nostro lucem peperisse, certissimamque ad Deum viam monstrasse debuerat. Potest etiam imperitia scriptoris id accidere, quando videlicet scientiæ reconditoris viro, sensuum animi distinctè dilucideque explanandorum gratia deesset: quod nunc missum facimus, totumque hoc genus librorum, nisi grauissima & iustissima causa excuset, aut improbandum aut parum admodum probandum putamus.

At sunt Acroamatici alij, quorum dignitas & veneratio longè maxima, & fuit semper, & perseverare debet, qui res & verba continent, quorum sensus ille qui est obuius, dilucidus est & planus, lectorique perutilis, verba, totusque contextus humilis, & lenè fluens: at quod permirum est, eo ingenio, eo spiritu sunt conscripti, vt quo plura in eis intellexeris, eo plura intelligenda superesse deprehendas, animumque tuum ad quandam sensum attolli excelsum, quam antè ne suspicando quidem cogitabas. Eiusmodi omnino est sacra Scriptura, quæ tota (si linguarum idiotismos, & ætatum temporumque quibus est conscripta, vsu & occasionem callueris) planissimo est dicendi genere contexta: at neque proprio cuiusque sensu explicandam constat, obscurosque sensus abditiores esse, & doctore, sanctorumque Patrum interpretatione, vel singulari (quod perrarò creditur) sancti Spiritus illustratione esse opus. Ad hoc genus, licet inferiore longè modo, sed ad hoc tamen genus libellum Exercitiorum referendum puto: qui vbique dicendi genere simplicissimo nitescit, verbis & scribendi caractere patet, at verò tota ipsa decursio, argumenti apta connexio, lenissima atque efficacissima ab imis ad summa progressio, plurimorumque in eo Jaren-

*D Aug. l. 1.
Ep. 2. de do-
ctri. Christ.
Item ep. 3.
& l. 1. de
mor. Eccl.
c. 1.*

tium mysteriorum dignitas est tanta, ut necdum eam enarrare posse fatear, quam nondum satis capere me potuisse profiteor. ea est vel eius libri dignitas, vel ingenij mei tarditas, cui iam ab ipso Societatis aditæ initio persuasum semper fuit, plus in hoc Exercitiorum libro solo, ad perfectam orationem esse præsidij, quam in omnibus ex illo tempore quomodocumque editis: neque dum sanè video cur ab ista iudicatione discedam. non est quòd indignetur quisquam; huic si multa tribuo, quod ipsorum est, ceteris haud demo: sed quod assero, id certa demonstratione firmabo. Hinc videant qui libellum istum hodie passim etiam vernacula lingua vulgatum legunt, nec magni faciunt, id eò fieri quòd sine doctore, & experimento conueniente non satis queat intelligi.

Quòd autem minus illi tribuant nonnulli, quid mirum? cum partim hominum, specie & orationis pompa ducantur, quam aliquando in sacris ipsis Literis non comperiens Augustinus, fastidiuit. partim verò magistris vsi, qui aliud aliquid saperent, ipsi quoque vel aliud auertantur, vel nihil nisi quod primò occurrat, latere credant? Sed antequàm ad id probandum accedo, dicendum est mihi Quando, & Quomodo sit liber ille conscriptus.

Art. 2. Quando liber Exercitiorum à B. Patre sit scriptus, quidne in eo spectari.

Fuisse Manresæ in primis conuersionis initijs libellum Exercitiorum conscriptum, scriptorum, & rerum gestarum testimonijs constat, omniumque ordinatissimè descripsit P. Petrus Ribad. l. r. Vitæ B. Ignatij c. 5. ad 9. eius insitam vestigijs, ut certius quò intendo pertingam.

Primo igitur, & incredibili quodam seruore in dies inardescere Ignatius ignotus, & mendicos inter, in xenodochio solum sui contemptum amans, nudis pedibus, nudo capite, humi cubans, ter quotidie acerrimè se diuerberans, septenas, præter Missæ & Vesperarum tempus, horas quotidie in oratione ponens perseuerabat: quibus efficiebatur, ut absterfo omni vetere rerum huius sæculi amore, in alium planè virum abiret, cuius non iam in terris, sed videretur conuersatio tora esse in cælis, iam non regibus, sed soli regum Regi Deo militabat: ut ergo de bono fidoque milite, in fortem peritumque ducem euaderet, eum tentamentis varijs & scrupulis mirè exercitum habuit Deus. Cumque diuina misericordia, fuerit semper Ignatius omnium suorum animæ motuum, omnium propensionum, instinctuum, omniumque quæ in mente transigerentur observator, explorator & discriminator acerrimus, cum etiam animum gereret quam maximè ab omni quarumcumque rerum cupiditate secretum, totoque nisu ad perfectionis celsiora tendentem; hinc factum, ut ad observationem sollicitam accedente purissimo animi oculo, breuissimo tempore longè plura, & perfectius, experimento sui viderit, quam nos longis annis tardi segnesque videamus.

Vere

Verè ad doctrinam spiritus callendam, non est spatium temporis definitum & præscriptum, sed adspirante diuina gratia, celerimè percipitur, si modò neque diligentia, neque desit animi puritas.

Sic probato, sic discretionis dono exornato Ignatio, cùm haud quiuis, sed percelebris militiæ dux pararetur, grandiore eum luce illustrandum esse, diuinæ sapientiæ visum est: quapropter mentem eius in admirabilem quandam rerum diuinarum contemplandarum excelsitatem euexit: Sanctissimæ Trinitatis mysterium, qua mortali fas est, clariùs demonstraui: fidei dogmata ita firmè menti infixit, vt de illis dubitare non posset: aliquando apud fluuium tanto eius mentem lumine compleuit, vt sola in ea illustratione plus notitiæ sibi accessisse sit professus, quàm vllò vniquam vel studio, vel reuelatione: o cœdium ipsum abalienatus est à sensibus, caelestibus interim diuinisq̃ue delicijs pastus: denique hic perspicuas de Societate excitanda notiones animo impressas fuisse, confessus est aliquando Ignatius.

Dux ergo noster iam satis instructus est, vt quò, & qua sibi tendendum sit videat: sed quia soli in militia esse non licet, oportet de conuocandis, & aptè ad militiam exercendis esse sollicitum. At quibus inuitamentis, qua vlla poterit illecebra quisquam, à blandientibus mundi castris, ad asperam & præduram, eamq̃ue nouam Dei militiam, transferri? profectò solius hoc est Dei: at, quod est Dei quomodo cognoscent, quomodo, vt sequantur, permouebuntur homines? ergo etiam ad hoc ipsum, & primò & potissimè, ducendum docendumq̃ue vidit, reque ipsa & duxit & docuit B. Ignatium eadem sapientia bonitalq̃ue diuina. At quomodo?

Non secundum carnem militamus, inquit Apostolus: nam arma militia nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitio-^{1. Cor. 10.} num, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Sic planè B. Ignatij arma, sic eius classicum delectum conuocans, sic illecebra & præmij sperandi ostentatio non in persuasibilibus humane sapientia verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: vt vocatio socio- rum militum non in sapientia hominum, sed in virtute Dei esset. Vtque à Spiritu sancto id esse certum foret, eo tempore ab homine illiterato, nullaque cuiusquam hominis industria eruderato, breuissimè & certissimè id omne digestum, scriptoque libro comprehensum est, quod ad diuinæ vocationis vocem audientiam sequendamque solet esse necessarium.

Quod vnum quantum sit, & quàm egregiè ab Ignatio præstitum, qui intellexerit, & ritè perpenderit, sanè mirandi finem non faciet. Diceremque nisi in libro quem de hoc argumento edidi, fusiùs id probassem: quare non repeto. Nec tamen id prætermittendum, quòd in eam diem nemo vnus, id genus argumenti ordine & certa via tractasset. Est etiam hoc arduum, vt qui nondum de spirituali vita quidquam degustarunt, de subtilissimis spiritus inspirationibus iudicare

doceantur, eaque via doceantur, quæ vix dicendo exponi, sed fermè tantum
 commonstrando, & quasi manu ducendo designari possit, tum quòd eius ex-
 cellentiam verba nostra haud satis assequantur, tum quòd eius efficacia, & ad fi-
 nem optatum certa deductio, non abs vnus alicuius præceptiuculæ observatio-
 ne, sed à prudenti omnium quæ ab initio decurruntur, apteque inter se detin-
 ciuntur, ab ipsius quoque cuius res agitur, aliorumque multorum æstimatione
 ac dijudicatione pendet. Vnde & hæc cognitio, si vlla alia, verè acroamatica est,
 quamque scriptis explicare nescio an possis: cumque non pauca de alijs eligendi
 modis in nostra illa descriptione dixerimus, ad hunc tamen qui certissimus est &
 nobilissimus, voluntatisque impulsibus, ac super his iudicatione intellectus
 perficitur, vbi ventum est, licet non pauca cap. 23. & 35. dixerim, id tamen, nisi ad
 praxim & viam vocis doctorem accesseris, nequaquam satis esse sum profectum.
 Cumque omnino perpauca sint, qui in rebus ceteris agendis, & reliqua varietate
 vitæ, istam B. Patris nostri doctrinam familiariter adhibeant, hinc fit, vt rarissimi
 sint, qui eam probè intelligant: ignorantiam in ceteris fortè tolerandam, ac certe
 non in filijs, quibus hanc patrimonij nobilissimi hereditatem, tradidit excolen-
 dam: at vè illis qui boni Patris neglecta vinea, alienigenarum horrida dumeta
 excolunt, & femineas, si Deo placet, nobis mirabiles obrudent, velataeque
 reuelationes ad impulsus Dei cognoscendos adhibebunt.

Non sic profectò Ignatius, sed docente & dictante spiritu, certissimo funde-
 mento posito, ad summa omnia firmissimè gradum facit: finem ponit ob ocu-
 los; purgat mentem; purgatam illustrat; illustratam excitat & firmat; firmatam
 Spiritu sancto animat, roborat, perficit. Sed distinctiùs id exponamus.

Primum & Ignatianorum operum longè maximum, illudque cuius gratia Ig-
 natium, collocandum inter Dei principes, de militari puluere suscitaret diuina
 prouidentia bonitas: primum inquam & maximum Ignatij opus fuit, Religio
 huius Ordinis, qui Societas Iesu dicitur, excitatio, & apta descriptio: huc ergo vt
 ad finem propositum, cetera referri, ipseque Ignatius aptari atque instrui debuit.
 Cumque & socios conuocare foret arduum, & ad Religiosam vitam in eo pe-
 nè sint omnia, vt aptè & ex Dei spiritu vocentur: qui nihil minus quam de
 Societate cogitanti, imò nec ad eam cogitationem habili Ignatio, notitiam eum
 immiserat spiritus, is idem protinus eius menti libellum hunc inscripsit, quem
 continuò manus B. Patris describeret, eo que tam ipse, quam ceteri docerentur,
 quomodo vitæ suæ rationes, è diuini Spiritus inspiratione certa, inire possint.
 Hic ergo primus, & maximè necessarius libelli finis, vt sit vocationum quasi Iu-
 pis Lydius, reiiciens à Societate non vocatos, vocatos admouens.

At semper is fuit Ignatius, qui non quomodo documque, sed absolute, sed per-
 fectè, à se suscepta compleri vellet, cumque Religiosam familiam, cum socios ad-
 legendos cogitaret, & eam & eos pro fine sibi proposito quàm perfectissimos
 esse cuperet, sciretque ad perfectionem, vi & energia primæ vocationis ita nos
 duci.

duci, vt soleant in prima vocatione, virtutum & perfectionis, quæ deinceps la-
rius efflorescit, occulta semina latere: sitque prima vitæ securura quasi radix &
origo, quæ nisi vitalis fuerit, vnde quæso ceteris accedet vita? Consentaneum
fuit, vt tale vocationi excitandæ instrumentum adhiberet, quod inuoluta per-
fectissimæ actionis contemplationisque semina ita contineret, vt tota deinde
quàm longa, quàm perfecta futura esset, vita ista mortali, haberent foecij, quod
inde euoluerent, nec magis eis opus foret agendi, meditando, contemplandi que
præcepta aliunde mutuari, quàm vocationis inexcogitaram quandam nouam-
que formam fingere.

Duplex igitur, & vterque planè eximius, libello Exercitiorum finis est propo-
situs. Vnus vt quemuis possit de vocatione sua docere, sed eos maximè & dilu-
cidissimè, qui ad Societatem verè à Deo vocantur: & simul vtrosque excitare, vt
pro dignitate suæ vocationis viuant. Alter finis est, vt eius præceptionibus in-
structus quisque, possit sua in vocatione (sed in Societate maximè cui mirè con-
uenit) perfectissima cuncta sectari. Quod vtrumque à se spectari, disertis verbis
asserit B. Pater, in extremo præludij circa considerationem statuum.

Hinc autem id primùm agnoscimus, cur, eum singula omnia sint verbis di-
lucidissimis conscripta, vnusque sit eorum sensus, liber ille in tam diuersa du-
cat? nempe id ipsum quod sacris Literis accidit, in quibus obseruare est varium
illum finem: arguit Isaias Iudæos, in mores prauos inuehitur, de Cyro, & libera-
tione Ierusalem vaticinatur; is primus sensus. at simul de futuris prophetat, my-
steria multa prædicit; hic alter sensus: dumque duo hi sensus conferuntur, mul-
tiplices nonnumquam, verique omnes emergunt. Idem planè in hoc Ignatij li-
bello: qua ducit ad eligendum, sensus habet suos; & suos, qua eadem parte per-
ficiendum docet. Hoc autem vtrumque tam aptè, vna eademque opera pera-
gere, supra hominem est. Accedit etiam, quod humillimus, & ex Deo totus a-
ptus Ignarius, penitus in animum induxerat, nihil humana calliditate vel per-
suasione fieri, quod remoto Deo ad aternitatem esset vtile; Dei esse permouere
animos, nostrum id solum, si fortè permoueri à Deo vellent, inducere. Qua-
re nihil adhibuit, quo in partem alteram cuiusquam mentem, in deligendo vitæ
genere, flecteret: sed latè patentibus, & ad plurima flecti aptis vsus est axiomati-
bus, quo facilius posset quiuis varia naturæ incitamenta, varios sancti Spiritus
instinctus persequi. Id ipsum in instituto vitæ perfectè decurrendo perutile; nam
neque omnium ad res easdem, ijdem debent esse impetus, neque melior aut cer-
tior Spiritu sancto dux vllus optari potest ab eis, qui *discretionis regulas* à B. Pa-
tre traditas, oratione adiuncta obseruant, & Confessoriorum consilijs audien-
tes sunt.

Aliud quoque è duplici illo fine cognoscimus, cur scilicet, cum (vt demon-
strabimus) summum orationis & contemplationis apicem complectatur; non
tamen perpetuo & inabruto ordine ad eum contendat, eo que se contendere
dissi-

dissimulet? fuit enim id primò ponendum, & probè stabilendum, quod primò & maximè necessarium erat: & quo vno rectè constituto ac peracto, facilis ad excelsiora omnia pateret ingressus: Atqui illud vnum est vocatio, & vocatio sic cognita, vt ex eius cognitione dilucidè instillata, nullæ possint in reliquo vite cursu tenebræ offundi: imò verò ex ijs quæ tum docemur, si quid certè videmus, eam lucem videmus, quæ ipsas quoque, quas perfectioni clarissimæ nonnulli offundunt, tenebras discutiat. Præterea cum nequaquam sit omnium ad quæuis contendere, verissimeque dixerit S. Gregor. *Sapè qui contemplari Deum quietè poterant, occupationibus pressi ceciderunt; & sæpè qui occupati, bene humanis vsibus viderent, gladio sua quietis exsincti sunt;* sapientissimè factum est, vt, quoniam in sanctorum omnium, sed & aliorum plurimorum manus, venturus erat is liber, nec tamen expediret minùs idoneos, ad eius perfectissima conari, ita scriberetur, vt in aperto nihil reconditius ostentaret, neque quisquam ad audendum supra vires inuitaretur, sed sua sorte contentus viueret qui minùs valet, se quid quidem eo est assecutum putans: qui verò ad maiora & digniora vocaretur, non agere se peruidere posset, agnosceretque numquam se tam longè progressum, quin ex hoc etiamnum libello, quò posset progredi longiùs haberet.

lib. 6. Mor.
c. 26.

Art. 3. *Quas, vt vocant, vite spiritualis vias in Exercitiorum libro suo complexus Ignatius.*

Aptè omnino atque conuenientissimè docuere perfectionis magistri, tres ad perfectionem decurrentibus vias esse obseruandas, quas purgatiuam, illuminatiuam, vnitiuam nuncupauerunt, de quibus breuiter & dilucidè S. Bonauerura. *Purgatiua, inquit, consistit in expulsiōe peccati: illuminatiua in imitatione Christi: vnitiuam in susceptione Spiritus sancti, qui amor est, & mentem insidendo, vnum cum Deo spiritum facit: & qualibet via habet gradus suos, quibus ascenditur ab imo vsque ad summum. ita ille.*

p. 3. incid.

Iam verò cum in his humanæ perfectionis summa constet, qui eas perfectè fuerit complexus, is de absolutissima perfectione nihil omisisse censendus est. Est autem earum singulas aptissimè complexus Ignatius, & suas seu inductiones, seu præceptiones ita temperauit, vt (quod eorum quæ à Deo sunt solet esse proprium) propè nulla verbis indicatione facta, vsu, ordine, rebus vias eas singulas accommodatissimè & securissimè percurrere doceret. Omnino nihil est quod in eis desideremus, dum eas ad vsu & praxim, quam volebat, quam spectabat, reuocare conemur. Verè magnorum fluminum magni fontes. ô quantum in ipsis suis initijs Ignatius! nonne vt gigas cœpit currere viam suam, qui tot, tamque longas vias primo impetu est emensus? qui priùs propè celsissimarum rerum doctor claruit, quàm tirocinium ponere sit aggressus? sed id quomodo obrineat dicamus.

Ve

Ut igitur animum purget, ea adhibet, quæ non solum grauiore omni crimine, sed etiam minus rectis affectibus eum purgent, quod profectò ad alteram viam non leuiter præparat. Id autem ut assequatur, meditationes & considerationes adhibet ad hoc aptas, prætereaque examen sui ipsius triplex. Primum, quod ad confessionem generalem faciat: Secundum, quod ad quotidianos lapsus & actus diiudicandos: Tertium, quod ad vnius cuiuspiam, in quod sinus proniores, vitij extirpationem dirigatur; nec æquè possit ad virtutis consecutionem deinceps flecti, quod alterius viæ fuerit. Ita sunt Beati Patris præcepta ex eius animo æstinanda: ut enim in rebus quas ageret, non ad id solum quod manibus & oculis versabat, sed longius multò, ad perfectionis varia se cogitata, quali protendebat, nec tamen agebat secus, quàm si ea sola spectaret, quæ præ manibus erant; ita in præceptis ea sola expressim dicebat, quæ in rem præsentem facerent, non sic tamen quin inuestiganti, & prudenter æstimanti, multam daret occasionem, ut ad perfectius aliquid traducerentur. & hoc ipsum à sancto Spiritu esse, docet ille qui idem in sacra Scriptura seruetur modus.

Eodem item tempore, primis quæ ad meditandum faciant, præceptis instruit: quendam etiam in Dei & Ecclesiæ præcepta, in peccata capitalia, in facultates animæ, sensusque corporis, orandi modum docet, in quo cerrat cum facilitate utilitas: ac dum in illo non sola vitia, sed virtutes quoque considerari vult, non potuit aptius & lenius ad ea quæ perfectiora sunt progredi, nisi si potius (quod consultissimum est) amaram illam expiandæ viam, suauitate virtutis condire voluerit, ut huius alleætamento, ad expellenda peccata inculmberetur fortius, & ad securam illuminationis viam adspiraretur ardentius.

Denique cum id eorum sit proprium, quos sceleris, peruerseque actorum benè pœnitet, ut transactorum malorum à seipsis pœnas reperant; non raro verò vel blandiores, vel acriores ipsi sibi sint quàm oporteret: quæ sit moderatio adhibenda docet. Docet etiam quæ soleant in ipsis inijs tentationes exoriri, quomodo in illis qui facile, & in illis qui nequaquam peccare solent, dignoscendæ sint, quomodo in eis se gerere, quomodo cõtra Satanam pugnare cõueniat. Quæ sanè omnia, si in simul congesta cõttemplamur, tanta in breuitate, tam copiosè, primos illos vitæ melioris ingressus, roborari potuisse mirabimur.

Ita igitur purgatiuæ numeros omnes expleuit, at illuminationem sic instruxit, ut qui B. Patris mentem in ea fuerit assecutus, cetera prona omnia sit habiturus. Cum quæ illius formam & exemplar vitam Iesu Christi Domini nostri fuisse fateantur omnes, eam totam subtiliter sanè & aptissimè, trifariam distinxit. Primamque eam esse voluit, quæ id vitæ genus quod in mandatorum Dei obseruatione consistit, quodammodo complecteretur, qui primus & communis vitæ status appellatur, & cuius exemplum præbuisse visus est Dominus, dum parentibus fuit subditus. Est autem altera pars, quæ ad

Euangelicam consiliorum perfectionem assurgit, cuius exemplum cepit Dominus nobis delineare, quando in scijs parentibus in templo remansit, cum reliqua matre ad Iordanem baptizandus iuit.

Atque hinc vides cur ad sanctorum librorum exemplum, spiritum potius quam historiae tempora sequatur: quamque in eo libello nihil frustra ponatur. Cum etenim de vita Domini (quae posterior fuit) ab anno 12. ad trigesimum, meditationem prius instituit quam de Ascensu in templum qui prior fuit, id omnino effecit habita finis sibi propositi ratione, ut scilicet toto illo vitae communis genere ob oculosposito, ad aliud perfectius genus intruendum accederemus, opportuneque Domini vitam contemplantes (quae sunt eius verba) *vestigaremus, & efflagitaremus proprium vitae genus, in quo maiestati suae nos seruire malis.*

Hanc autem secundam Euangelicam vitam partem, ea primò complecti voluit, quae maxime ad actionem spectant, quaeque quomodo sit vita nostra conformanda praescribunt. Praeterea verò, quam tertiam hebdomadam dixit, & ad celsiorem illuminatiuae gradum pertinet, ea est quam tertiam partem dico, quae scilicet ad patiendam & subeundam pro Christi nomine plurima mentem armat. Sic igitur in illuminatiua docet B. Pater perfectionem in vita communi, itemque in Euangelica tam agendo, quam patiendo pro Dei & Domini nostri gloria.

In eundem finem, verbis brevissimas, sed sensu amplissimas leges & regulas varias tradidit, ad consensum cum Ecclesia retinendum, ad non iudicandum temerè, ad eleemosynas ritè dandas, vitandos scrupulos, victum temperandum. Modos etiam adinuenit orandi voce & cogitatione permixtos, in quibus longè plus in recessu latet, quam extima fronte promittant.

Iam autem cum ne quidem in sermone, ex vnare in aliam non nisi iudicio & ratione ferretur Ignatius, cumque nihil quod maioris momenti esset, sine certa voluntatis diuinæ indicatione susciperet, sapientissimè censuit, non esse à vita communi ad Euangelicam absque matura deliberatione transcurrendum: eius verò consultationis, quae & obscurissima est, & ad salutis aeternitatisque rationem praeteris vna valet plurimum, & in qua de diuina potissimum vocatione ambigitur, nec debere, nec posse credidit alium quam Spiritum sanctum arbitrum adhiberi. Sed *ò altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius! Quis enim cognouit sensum Domini? quae Dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus Dei.* ita quidem ille, qui de se dicere audebat: *Nos autem sensum Christi habemus.* O virum vel hoc vno praedicandum! Sed vbinam ei similem reperiemus, vbi qui subtilissimas, & quamplurimis demonum insidijs impetitas vocationes, quanam à Deo sint, quando, & quomodo impetiantur, diiudicare clarè poterit? Potuisti, Sancte Pater, potuisti, nec potuisti tantum, sed ea quoque diiudicandi praecipua modosque tradidisti, ut tibi quodammodo *aperiantur oculi caecorum: sit tibi semita & via, & via sancta vocanda sit, non transit per eam pollutus.* quippe prius sunt expianda peccata, & haec est nobis dire-

Rom. 11.

1. Cor. 2.

Ita via; ita vt stulti non errent per eam! ita enim certa est, vt nemo eam sequens in errorem ducatur.

Certè quæ hîc scripsit B. Pater, tanta sunt breuitate & perspicuitate sermonis, tam ordinata rerum serie, tamquæ multimoda profunditate sensuum, vt sine peculiari Spiritus sancti ductu, ab homine conscribi minimè potuerint. Ea non prosequor explicando, summarim tantùm quàm sublimè euolet indicabo. Ecce enim statim in perfectionis concupitæ scopum intendit, & in illa sua delectione doctrina duo quædam spectanda, & ex illa referenda docet, nempe generis vitæ quod nobis conuenientius sit; cognitionem atque electionem. quod vtrumque vnum est; hîc enim non in ipsa cognitione sistitur, sed ad electionem cognitio refertur.

Alter ex eadem doctrina reportandus fructus est, iuxta id quod sectamur vitæ institutum exquisita perfectio. Ideòque monet, *discemus etiam exinde, qua sit nobis opus dispositione, vt perfecti in eo euadamus statu, quemcumque bonitas diuina eligendum nobis suggesterit.*

Vnde agnoscas errorem eorum, qui nihil amplius in eis vestigant, quàm quod ad electionem faciat: & verè constat, à maioribus nostris, ipsique qui etiamnum in viuis degunt, eam eligendi formam, ad alia multa adhiberi solitam, & ex cæterum maximarum controuersias definitas, dubitationes certo sine conclusas, de quæ diuina voluntate indubiè & verè esse iudicatum: atqui in diuinæ voluntatis cognitione, & cum ea consensione, perfectionem omnem esse positam, quis non fateretur? Id igitur sit certum, quod quemadmodum decet & opus est, è vocationis gratia, ea proficisci, quæ ex eius præscripto deinceps præstanda sunt; ita ex eo qui ad vocationes & inspirationes, seu Dei alloquia dignoscenda, excipienda, complectenda modo præscribitur, necessarium est, vt animo nostro tenerimus quidam diuinæ vocis auditus indatur, quem si excoluerimus, excipiendæ diuinitus omni disciplinæ habilem reddemus.

Et quoniam excelsum admodum id est, leniore elluo ad summa perducit; nam & à primis inirijs eò referuntur omnia; vt deposito vel onere peccatorum, vel affectionum velo, leuior ad ascendendum, expeditior ad perueniendum euadat: vbi verò ventum est propius, tum potentiores & illustriores adhibet machinas, quæ utlibet tenebris clarandis efficaces, hinc vexilla ducum, classes hominum, gradus humilium, & alia eius generis admouet, quibus mens hominis omnem cuiuscumque creatæ rei colorem, odorem, affectum inquam, & cogitationem exuta, tabulæ rase instar habeat, speculivæ mundissimæ, & amore Dei nitentis, in quod quiuis diuinæ sapientiæ voluntatem suam indicauerit, delatus radius, cum fulgoris, tum caloris (vtrouque enim pollere solet) sibi in diri splendore & sensu se dilucidè prodit.

Persequi singula non est meum, hoc solum addamus, quod ad dicenda nequit omiti: Duo sunt modi quibus possunt diuinæ voluntatis arcana

cognosci. Vnus qui intellectu, alius qui voluntate perficiatur, iste lumine rationis, hic incitatione voluntatis continetur: non sic tamen quin intelligens velit, & volens intelligat, sed sic ut in vno longè magis intellectiois, in altero voluntatis impulsio dominetur. Ad hæc id exigit S. Pater, ut quando ex voluntatis incitatione eligitur, solus eam Deus, nulla prorsus in administram creatura adhibita, impellat. At verò cum ratiocinando eligitur, etsi à Deo lumen flagitari velit, nequaquam tamen omne creaturatum subsidium refutat, quin potius optat vires totas ingenij in deprehendenda veritate contendere, multaque de commodis & incommodis eorum qui controuertuntur statuum, ratiocinando extendi.

Et hinc pater quàm certa, quàm sublimia sequatur: quippe iste voluntatis impellendæ modus est, quo excelsior & mirabilior nullus esse potest: in hoc enim ita voluntas vult, ut volens velit, Deo quæ non cogente, sed suauissimè & fortissimè agente sic impellatur, ut non aliud quàm velle denique possit, & nihilominus quæ inductione, ratione vel spe id velit nesciat, nesciat quid boni, quid commodi in re illa desiderata lateat, id sciat, id sentiat vnum, eo se diuinitus agi, neque sibi bonum esse contra spiritus diuini stimulum calcitrare.

Solet autem (ut experientia, ipse quæ B. Pater satis docet) vbi primùm diuino instinctui suum voluntas consensum penitus & ardentè adiecerit, solet inquam protinus sancta quædam animi tranquillitas, pax, & in Deum fiducia efflorescere, continuoque ipsi intellectui lux ingens, & noua concupiti status cognitio accedere: videasque non rarè eiusmodi homines, qui priùs ab aliquo, ad quem vocabantur statum abhorrebant, de quibus eo male sentiebant & loquebantur, subito immutatos, & amare, & prædicare, & de eo detrahentibus ora occludere. Atque hinc quod dicebamus liquidò constat, nempe voluntate hominum voluntati diuinæ tam aptè conformata, ad omnem diuinam illustrationem animos nostros habiles reddi: sed hæc in sequentem articulum differamus.

Constat igitur secundam illuminationis viam quàm latè omni hominum generi, quàm perfectè singulis exposuerit, aptèque totam Christi Domini nostri vitam, docente solo Spiritu sancto Beatus descripserit Ignatius. Vnde consequens est, ut, quando via tertia, quam vniriuiam vocant, ex alijs duabus exoritur, & propemodum ex illis sponte sua enascitur, perfectè quoque à Beatissimo viro enucleatèque tradatur.

Hic igitur illum videas, quæcumque sunt lætitiæ, consolationis, pacis, gaudij, spei, amoris cupidè lustrantem, perque ea omnia quæ ab ipsa Iesu Christi Domini nostri resurrectione, ad ascensionem vsque acciderunt perueniant: indeque in ipsam quoque diuinitatem sublime ferri, vnoque (sed ad quod cetera propemodum omnia referri possint) exemplo docere, qua ratione oculos in Deum tollere, eum semper præsentem habere, in rebus omnibus sed maxime in nobis ipsis contemplari, ac perfectissimè amare possimus. Et ne fortè nostris in

cogitationibus & contemplationibus euanescamus, præscripsit tribus lineolis modum eum, quo caueamus ne in varia, inutilia, curiosa, affectata, speculandi æstu, & auida cupiditate rapiamur: vult enim vt ne verbis, multo quæ minus subtilitate cogitandi, amorem nostrum definiamus, sed sciamus, idem velle, idem nolle, omnia in commune bona habere, nihil suum sibi referuare, sed omnia amico tradere, in eoque magis quàm in se ipso viuere; eius agi sensibus, commodis & incommodis angi, eam demum esse perfectam amicitiam, eam vniuersæ vitæ certam solidam quæ perfectionem; hinc nostri in Deum, diuini in nos amoris æstimationem petendam. His positis quanta nobis diuinus amor contulerit, perpendenda docet, vt exinde nos totos in eum transferre doceamur. Inde addit quomodo vnicuique rei suam det naturam & conseruet, ipseque homo sit quodammodo Dei templum. Quomodo in omnibus hominis causa operari & quasi laborare videatur Deus: quàm varia ex infinito boni thesauro in eum vndique effundat: quibus efficitur, vt in omni omnino re, variè & facillimè Deum contemplari possit, qui id semel sanctè imbiberit: imò verò necesse est, vt se toto relicto & penitus abnegato, Deo suo se immergat, & in eo solo se totum & omnia meliùs & feliciùs reperiat.

Art. 4. In ijs quæ de motibus animæ tradidit, quanta sustollendo spiritui præsidia lateant.

Scriptit B. Pater quædam ad discernendos animi motus regulas, vt boni solùm admittantur & pellantur mali: his enim eas verbis inscribit, existimòque eiusmodi inscriptionem abs minimè ambizioso & iactabundo profectam promissore, se ipsa satis indicare quantum in regularum istarum recessu lateat. Cùm enim homo vel tantopere alienæ opis indigus degat, vel vsque ad eò maleficientiæ dæmonum, beneficiæ Angelorum & Dei sit expositus, vix vt ad vitium vel virtutem progrediatur longius, quin id alieno spiritus alterutrinus contingat impulsu: profectò qui sic illum instruxerit, vt malos omnes qui in animum inciderint motus pelleret, bonos verò norit admittere, nonne ad perfectionem omnem eum bellè informasse credendus est? Accedit, quòd cùm ad perfectiora tendentibus, gratia sit & Dei liberalitate, multa nobis vbilibet inspirante nitendum: formidolosius verò nihil sit quàm insidiantis, & in Angelum lucis transfigurantis se Satanæ dolis in fraudem induci, nihil vel ad cauendum insidias opportunius, vel ad securè audienda Dei summi alloquia optabilius, commendari scriptis potuit. Sed sit licet hæc vtilitas tanta, non est sola tamen, est communis, est quæ in omnes passim vulgetur, aliam rariorem, & quam peruideant soli ad maiora selecti vestigemus.

Verùm nequaquam solas illas regulas, aut lectitare aut respectare debemus,

nec fuit B. Patris mens ea, ut tota illarum vis seorsim expendatur: at voluit eas meditationibus adiungi, ita tamen ut neque certo loco, neque semper: sed rursus solum, cum repertus is fuerit, qui subtilioris istius doctrinæ fuerit capax: quippe *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus*, neque omnium vel ingenij acies, vel vitæ ratio, illi suscipiendæ est opportuna. Et ut ad regularum istarum usum asurgatur, assequendus est is finis, quem connexio, totaque meditationum & præceptionum quæ ad usque illuminatiuæ viæ dimidiam partem traduntur, dispositio atque complexio, in eius qui se exercet, animo postulat. Ut autem sit perfectus usus, oportet etiam in tota vniuersa non mediocriter profectum esse.

Primo quidem & præ ceteris, omnino necessaria est expurgatio gravior cuiuscumque peccati, tum etiam vehementioris cuiusvis perturbationis, vel audientioris in quamcumque rem creatam affectionis, ad se animum pertahens: quippe si quid horum menti insidet, necdum est captandæ diuini suspirii auris, necdum viuificæ sancti Spiritus suadellæ auris admonenda: caligo prius decedenda, quam ut lucis repercussæ radius enitescat, nec vocis tenuissimæ sibilus affectionum clamore perstreperente, valet exaudiri.

His autem obstaculis è medio sublatis, est etiam apparatus sanctiore nosse hic palæstra instruendus: omnem profus rerum omnium, imò & sui ipsius amorem exuat oportet, & quo spoliator omnibus fuerit creaturis, tanto ent excipiendo Creatori paratior: sic autem amorem ponat, ut horrorem ne assumat, quiduis ponere, sumere, negligere, subire & pati promptus, ad spiritus diuini nutum, quem vnus viuendi, agendi, volendi, nolendi sibi normam facit. Atque hinc Deo suo se totum suaque committit, certus, fore ut corpori & animæ, in minimis, & in maximis, in omne tempus & in æternum fida cura prospiciat. Iam, sic omnia despectantem, sic nihil ambientem, & Dei fiducia securum animum, placidissima quædam tranquillitas mulcet, qua fiat ut in summa æquati animi malacia & laeuore, nullus menti quantumcumque leuis motus inspirari possit, quin protinus obseruetur: si potissimum (quam perpetuam vult esse B. Pater) sollicita in seipsum animaduersio, & vigil cura vigeat.

Expurgata igitur mentis acie, & ad quamdam sensus tenentitudinem perducta, sanctisquæ desideriis ad Deum prouecta, si diligenter suos motus obseruet, & ex præscripto regularum B. Patris eas diiudicari, sensim se homo exeret Deum induet, & vnus cum eo spiritus fiet. Sed curandum est, ut optime regularum illarum sensum calleat, eaque purgatissimo animi oculo, maxime quidem ad orationem, sed etiam ad reliquum omne tempus, desiderium, negotium, consilium, placidissime adhibere norit.

Et si enim hanc diuinæ voluntatis perquisitionem, eo tempore exercendam commendauit B. Ignatius, quo seuocatis ab omni consortio, communique conuictu, curis, audiendo soli Deo vacatur, nequaquam tamen rem utilissimam istius nego-

negotiosi otij angustijs definiuit. Quin potius cum nihil unquam nisi consulto Deo certisque diuinæ voluntatis indicijs aggredetur, in indicijs autem capiendis hanc semper sequeretur methodum; suo sanxit exemplo, eam quoque ab omnibus perfectionis candidatis, familiariter ad omnia adhiberi oportere. Nec sanè videtur difficile, vt homo Deo præfidens, prauum omnem affectum exutus, in vnus Domini & creatoris sui gloriam incumbens, acutum in sui animi motus cernens, nullo cuiusquam perturbationis agitatus impulsu, breui tempore quo se ad orationem confert, & veræ sapientiæ fontem Deum consulit, clarè de eius voluntate doceatur: cuius rei non pauca, & illustria in Beati huius viri gestis documenta comperies.

Ex eo tamen quod hominè reliquis curis auocato hanc exercitationem prescribit, duo quædam vtilissima docemur. Primum, quod, vt bene quodam loco Gerson, non potest ab homine negotijs multis implicato, contemplationis gratia acquiri, potest tamen in quibusuis occupationibus, ab eo qui acquisitam possideat exerceri: ita etiam tener ille diuinarum morionum sensus, certusque iudicatus, non acquiritur nisi ab eo, qui se abs omni cura, consuetoque hominum conuictu segreget, magistroque vtatur eo qui sic paulatim mentem eius perpoliat, & ad sensum Spiritus ducat. Quò cum aliquando, non inani scientiæ ostentatione, sed vera experientiæ gustatione peruenierit, tum verò non illo tantum, sed toto relicto tempore, inde poterit vitæ suæ rationes omnes actionesque componere. Sic tamen vt (quod secundò docemur) norit id à se non aliter præstari posse, quàm si medijs in negotijs mentis otio, & magna quiete perfruatur, si à turbis curarum instar Moyſis, ad tabernaculi silentia reuertatur, si cum Domino Deo suo, eadem tranquillitate, fiducia, caritatisque puritate perseueret. Quam in rem, intimis mentis oculis, Deum vbique præsentem contemplari iuuat, sepositisque ex interuallo, & quoties licebit, curis, ad orandi solitiam redire, præque ceteris vt præsentissimum huius diuinæ præsentionis venenum cauere, cuiusuis negotij, euentus, personæ, affectum & cogitationes anxias. Quòd si qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, picataque sunt & hamata hominum negotia omnia, affectus verò nostri improvidi, & adherere proclives; quis est bone Deus, qui cordis hanc munditiem, qua tua sentia videantur, se in agendo seruaturum speret: certè nisi auxilio tuo, speret nemo: tuo tamen qui potens es, qui bonus es, quis non speret? tumque certò speret, cum ad agendum vocas, cum iussu Superiorum vrges? Si enim & vocas & iubes, quis te tuæ vocationi, tuæ iussioni defuturum credat?

Sed quid pluribus opus est? vno verbo quod sentio dicam. *Hanc viam qui tenuerit, qui sibi familiarem fecerit, & ad hoc peruenit vt verè dicat, Vtuo ego, non iam ego; viuunt verò in me Deus:* quò pertrigisse, imò vel adspirasse, annon supra hominem est? atqui magis in isto homine Deum, quàm ipsammet hominem viuere quis dubitet, quando motum omnem, omne desiderium, amorem, spem, conatum,

com-

commodi & incommodi sensum omnem, sibi mortuus exiit, at solo diuino spiritu, quasi anima altera succedente, mouetur, desiderat, amat, sperat, conatur, sentit, appetit, vitæque, quæ diuinitus ducatur, illustra præbet argumenta.

Ecce enim iam sic progredior longius, vt certissimè credam, ex ea in rebus maioribus cum Deo consultandi, eiusque voluntatem sentiendi facilitate, eodeniue deueniri, vt in minimis quibusque sentiatur, vt in negotij & otij, in cibi & potus, in sermonis & silentij, in ambulationis & quietis tempore, modo, & susceptione; adeò vt iam vix aliquid sponte sua peragat, sentiatque sibi animum prout ad Dei gloriam expedierit, in alterutram partem modò patescere, modò occludi. Nec verò vt in hanc deueniatur admirabilitatem, alio secundum Deum opus est subsidio, quam eis quæ à B. Patre de diuinis motibus tradita sunt præceptionibus, ita vt dixi vlturpatis, fiduciaque, puritate, præsentia, & tranquillitate animi, quasi semper coram Dei sui facie diligentissimè conseruatis.

Ita est quasi quidam aut propheticus, aut plenus Deo spiritus, quo certè humano animo induntur præmonstraciones & præsentiones futurorum, quæ ad vitam nostram, & actiones ex virtute, Dei que voluntate componendas excitent. Sunt autem vel obscuriores vel expressiores, ita iustis rationibus dispendante Deo, aut etiam pro excipientis minore vel maiore perfectione, aut pro conditione ipsius rei de qua agitur. Sed siue expressius, siue obscurius, duobus modis præmouetur voluntas, vno cum alicunde oblata illi boni specie ad volendum allicitur, altero cum nulla prorsus occasione vel ratione ex vlla parte oblata, Deo ipso (quæ eius bonitas est) eam subeunte impellitur. Et quidem quoties priore modo (qui & ipse per frequens est) voluntas mouetur, fieri potest vt à Deo creaturis ministris vtente excitetur; minus tamen certum est, cum accidere quoque possit, vt spiritus malus, iisdem ad nos in fraudem inducendos, creaturis vtatur; timendumque nobis ipsis, ne quæ illius creaturæ amorem obliquemus. At quando solo Deo mouemur, id certum, id verè securum est.

Solent autem, quæ status electionis voluntatis per motionem peraguntur, hoc postremo modo perfici, tum maximè cum perfectiora & à sensu carnis aliena ambiuntur: nec enim eligendorum statuum forma vlla specie siue spectabilis, hominum animis obuerfari solet, quæ illectos ad sui amorem pertrahat: sed ad B. Patris præscripta se componentium animi, toti sunt ex æternitate suspensæ, et a quæ omni rerum caducarum imagine, depurati diuina prospectant, & a summo imperatore, diuinæ voluntatis indicium, quasi tesseram militarem, quam in legionem cohortemque certam describantur, expectant.

At inquis, si nulla forma, nulla specie voluntas mouetur, sed solo Deo, quid fuerat tot obseruationibus opus? Nempe vt sic moueri possit, ipse est aptandus

dus homo, ac præterea cùm soleant animorum motus esse celerissimi, frequen-
 ter fit vt permota diuinitus voluntate, alij seu repugnantes, seu consentientes
 motus, illico tanta velocitate comitentur, vix vt primum à reliquis se iungere, &
 quid à Deo solo sit, certo possis interuallo, abs eis, quæ ab illo solo non sunt, se-
 cernere. Cumq; is semper Ignatij genius fuerit, vt intuta non amaret, & in rebus
 tantis nulla nimia cautio possit adhiberi, eas voluit admoueri regulas, quibus
 propiùs applicatis, motionũ voluntatis vel prauitas, vel rectitudo constaret. Illi
 verò qui vltu rerum spiritualium exercitiores habet sensus animi, interno quo-
 dam vel sapore, vel auditionis modo, illapsum motum uel loquentis creatoris, à
 creaturæ appulsu & voce distinguunt. Hi sunt *spirituales illi homines, qui, vt dicemus,
 iudicant omnia, ipsi autem* (quis enim eorum arcana pertinet?) *à nemine iudicantur.*

Sed à voluntate ad intellectum transeamus, cuius ex iisdem B. Patris vesti-
 giis, triplicem illustrationem animaduertamus.

Prima est naturalis, cùm ratiocinando, suasq; vires exercendo quid bonum
 vel malum, verum falsum uel sit inquitit, inuenit, iudicat: quam in rem non pauca
 c. 9. & sequentibus diximus. Est autem longè maior & certior, quoties, vt sæpè
 fit, occultas ratiocinationi nostræ vires, vel per Angelos, vel per se, Deus & Do-
 minus noster subministrare dignatur: quam in liberalitatem tum precibus, tum
 præparatione cordis est inuitandus. Et hunc cognitionis modum apertè in ter-
 tio eligendi tempore descriptum habes.

Altera illustratio est, quando, nulla forma, nulla specie, vel in sensus, vel in a-
 nimum illabente, sublimior quedam & spiritualis lux intellectui illucet, oclusa
 aperit, ignota docet, aut etiam veritatè ipsam quasi aspectandam & palpandam
 præbet, atque adeò confirmat, vt eam vix credat à quoquam in dubium posse re-
 uocari. Hunc illustrationis modum, partim ex voluntatis per solum Deum mo-
 tione coniectandum B. Ignatius reliquit, partim etiam expressit, lumina, tene-
 brasq; consolationum & desolationum recensens. Quis autè iure miretur, non
 posse satis verbis exprimi, quod mēti sine vlla corporatarum rerum similitudine
 imprimitur? exempla tamen allata id satis docent, estq; aliquid simile in na-
 turali primorum, vt vocant, principiorum cognitione: cùm enim eandem de eo-
 dem affirmationem & negationem non esse veram, non esse faciendum alteri
 quod nolis tibi, menti nostræ obiicitur, non res, non forma aliqua vel species,
 sed sola obiicitur veritas, & ita se habere vt dicitur, certò assentimur: ex eoq;ue
 conficimus intellectum & mentem nostram habere instar luminis alicuius,
 quo possit ipsissimas rerum veritates nullo forinsecus adminiculante con-
 tueri: ad ea verò quæ sint excelsiora & diuiniora, immisso cælitus lumi-
 ne, nimium quantum expandi atque sustolli. Neque verò casu à me additum
 est expandi, quippe hoc ipso Dei dono fieri credo, vt dilatato quasi sinu men-
 tis, vni sancti simul plurimarum & diuersissimarum rerum curis facerent satis,
 & summa tamen, ac si placidissimo abundarent otio, animi quiete fruerentur,

deuotionisq̄ suauitate lactarentur. Quod cum ita sit, Deoque prompta & facila sit, videamus qui nos obedientiæ addiximus, & quietis tranquillitate delectamur, ne Præpositis ad negotiosa vocantibus, ægrè & restitendo obsequamur: bonus est qui vocat, si vocat Dominus, potestq̄ in inuiviam, in tempestate ponere tranquillitatem.

Tertia illustrandæ mentis ratio est, cū intus aliqua species, forma, vel similitudo imprimitur, qua in rei latentis cognitionē vel saltem perfectiori quodam modo & nobiliori deuenitur: solet autē è priore modo deriuari, siue quod naturaliter suæ sibi cognitionis similitudinem quamdam ingenium hominis efformet, siue quod sancti Angeli eam animis imprimant, quod fauore diuino possunt, etiamsi non præcesserit illa quam sine specie, & à Deo solo diximus illustratio: sed siue comitetur illa, siue absit, eadem tamen est, & ex iisdem intelligitur. Præclare omnino S. Bernard. *Cum diuinius aliquid rapim, & veluti in velocitate coruscæ luminis interluserit menti, continuo, siue ad temperamentum nunc splendoris, siue ad doctrinæ usum (nescio vnde) adsunt imaginatiuæ quadam rerum inferiorum similitudines, infusus diuinitus sensibus accommodata, quibus quodammodo adabratus purissimus ille ac splendidissimus veritatis radius, & ipsi anima tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Existimo tamen ipsas formari in nobis sanctorum suggestionibus Angelorum, sicut è contrario contrarias & malas ingeri inuisiones per angelos malos non dubium est. Ita ille.*

Homil. 41.
in Cant.

Ex quibus datur intelligi, hunc modum illudenti dæmoni esse obnoxium, in eisq̄ periculosiorem qui magis imaginosi sunt, vt fermè, minùs iudiciosi, & feminæ. Hinc Sancti omnes vno ore docent reuelationes non esse querendas, ac ne vix quidem admittendas, laudanturq̄ iure meritissimo illi, quorum vnus dæmoni, Angeli forma se adspectabilem offerenti, oculis oculis, Non ad me, inquit, sed ad alium sanctiorem aliquem missus es; Alter verò pari animo auersans, Non in hac, inquit, vita, sed in altera tantum, Angelos videre desidero. Verum quia nec possunt, nec debent omnes improbari, probandi Spiritus an ex Deo sint. Quare B. Pater, suos quidem ad solidas virtutes, ardentemq̄ deuotionem incitatos voluit, ac simul eos aduersus illudentis dæmonis fraudes armari præcepit. *Docentur, inquit, quomodo ab illusionibus dæmonis in suis spiritualibus exercitationibus caueant* quorum verborum germanum sensum esse credo, vt maximè velit à suis omnibus, eas de spiritibus discernendis regulas, familiares & ad usum expeditas haberi. Inde quippe id sequetur, vt & illusiones cauere possint, & ad veras, si quæ fortè à sanctis Angelis contingerent, consolationes ac illustrationes admittendas, non sint improvidi.

Const. p. 3.
c. 1. n. 10.

Hæc igitur & plura quàm capere me posse profiteor, ex hac Beati Patris doctrina ad nos ipsos regendos redundant, & ad summa perducunt. At quoniam non sibi soli, sed accedentibus atque vicinis lux lucet, & om-

nia quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enim quod manifestatur lumen est, Ephes. 5. hæc utilitas longè latius ampliusque diffunditur.

Primò enim qui sic ad alloquia diuina intentam gerere mentem didicerit, is etiam subtiliorem illam, & excelsiora spirantem, & acutiore visu penitiùs in abdita penetrantem sortietur, adeò vt iam solem, cælum, terras, hominem, idque omne quod hac vniuersi mole continetur, non iisdem quibus ceteri oculis videre videatur; aliud est aliquid quàm color, quàm lux, quàm species externa, quæ per oculos mentem ferit, loquuntur illi omnia, docent illum omnia, illum omnia amore creatoris incendunt, & quando in omnibus perpetuò reperit Deum, imò verò omnia illi Deum ingerunt, præclaram illam possidet caritatem quam nemo à Deo separet.

Dein verò quod ad conuictum ceterorum attinet, veriùs, certius, subtiliùs aliorum cogitationes & actiones iudicat, non quidem suspicaci, vitiosa, temeraria vlla iudicandi temeritate illectus, sed intimo quodam perspicacissimi spiritus gustu & sensu, suum sentiens spiritum occulta quadam ratione tangi, leniterque & placidè ijs affici, quæ à bono spiritu procedunt; contra verò ab ijs quæ à maligno spiritu admixtum quid habent, perturbari, & molliorem deuotionis succum repente exsugit. Hinc fit vt in scrupulis dignoscendis, tranquillanda conscientia, deliberationibus finiendis, omnique consultatione valeat plurimum. Hic est cui meritò animam tuam credas, qui tibi *Ecclesi. 6.* sit ille consiliarius vnus de mille, quem consulit Sapiens, qui loquatur tamquam potestatem habens, tamquam Dei verba depromens. Hic est cuius vt spiritum Dei possidentis viuus est sermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Certè enim ad hunc quoque apicem euectos esse nonnullos, ipsumque B. Patrem Ignatium legimus.

Tertiò duo quædam B. Patris monita, regendis hominum animis peropportuna, per hanc diuinarum illustrationum familiaritatem, perfectiùs obseruantur: vnum eorum est, ne eadem plurimis & diuersis prescribantur, putemusque quod nobis utile, idem futurum omnibus. qui error vt in medicis corporum, ita & animorum frequens deprehenditur, ferèque ex inscientia, & inopi imperitia oritur, vt cum pauca quædam & ferè transumpta remedia, aut de scripto aliunde mendicata corraferint, vim verò & rationem illorum minùs perspectam habuerint, iisdem eadem illa morbis adhibeant, siue ex frigore, siue ex æstu, ex abundantia vel defectu, ex tumore vel timore, superbia vel deiectione sint contracti: inde verò non curatio, sed vulneratio & grauior afflictatio solet consequi. Atqui in has aberrationes non deueniet, qui à summo & optimo medico Deo medicina modum accipiet. Alterum erat præceptum, vt ne minutè & angustè ad singula præter qui alteri præest, sed aperiat aditum quo in apertos campos latius excurrere, vel etiam indicato adi-

tu ipse sibi viam possit aperire; quippe quod nimium circumseptum vel coactum est, non solet benigno naturæ sinu foueri, non sic penitus ad intima transmitti, non debitis incrementis auferere: ergo consultissimum est, vt Deo Domino nostro, qui solus cordium scrutator, & naturæ arbiter est, omnem sanctorum desideriorum implantationem & irrigationem committamus, nec tantum, sed & culturæ modum & normam: nos verò beneficentissimo Domino, nostram, si fortè, opellam exigere dignanti, caueamus ne quidquam quod nostrarum virium esse dederit, vllò vquam tempore denegemus.

Quartò, admirandù & prima specie incredibile quid consequetur quicumque harum discretionis regularum vsu sibi familiare fecerit, nempe vt certas præfessiones atque prænotiones diuinitus accipiat, quibus quid reuera sit salutaris illis quos curæ suæ commédatos habet, præintelligat, & ad illud ipsum promouendum, se quoque præmoueri sentiat; sentiat item aptam securamque id perficiendi viam sibi clarè præmonstrari, ita vt videat suum alienumve impulsum & monitum esse adhibendum, quando, quomodo, quousque, vt ne in irritum laboretur. Sed illud longè præclarissimum, quando in maioris momenti susceptionibus eis, quæ vltro neos impetus exigunt (cuiusmodi sunt status vitæ electio, ad semotas alieno in orbe regiones aditio, præsentissimorum à peste, ab heresi periculorum, aggressio) quando, inquam, in consultatione his de rebus in eunda, & præsentit, vt dixi, quid alteri optimum, & suam illam præfessionem cum in alterius animum transfusam optet; certum tamen illi est, nec suum illud animum vllò indicio proderè, nec vlla in eam partem allecamenta, imò nec vera argumenta proferre, id vnum & nobilissimum experens, vt lucem animo suo insidentem in alterius mentem, nullo signo, nulla administra voce transfundat, eodemque quo ipse prior impellitur alius pariter motu impellatur. Hæ sunt veræ, hæ solidæ minimeque fucatae, & in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, animorum permotiones, & desideriorum quasi impressiones. Hoc autè consequèris, si tu ipse primò affectu omniposito, & ex secundi in eligendo modi præscripto, quid alteri expediat, quidue illum statuerè velit Deus, diuino inspiratu haurias: Deinde sincera & humili prece ab eodem summo voluntatum humanarum moderatore impetres, vt eandem illi, cui magis propria esse debet lucem transmittat: teque ipsum doceat quibus vti debeas præceptis, axiomatis, obseruationibus ac exercitiis, non quidè in eum finem colluantibus, sed quæ quauersum diffusis, ac eiusmodi per quæ diuina Sapientia illum in viam istam est deductura, sic tamè vt tu tuum nihil adferas, supremumque spirituum omnium dominatorem Deum in alterius animu, pro sancto eius arbitrio agere permittas, tu id solùm curato, vt Soli aeterno omnis animi tui & alieni recessus pateat, & eum abundè suo lumine fouebit, sanctis ardoribus inflammabit.

Quintò deniq; hinc etiam fit, vt facta, vt dicta Sanctorum, eo spiritu, quo sunt prolata percipiat, nec secus ea quam par esset interpretando, nec de illis demul-

sius quam conueniat sentiendo, omnesque quæ fortè occurrerent offensiones commodè declinando. Nempe qui eos impulit spiritus, ille idem huius nostri sensum excitat.

Vides amice lector, quam sensum eò quoq; gradum fecerimus, vt iam tibi pateat, hæc esse illam ipsam viam, qua sensum Scripturarum aperit Deus, iis quos ad hanc spiritus discretionem vocarit, & quorū conditioni & statui vtile & decorum fuerit. Quod ego adiunxerim, vt hoc dono nihil aliud intelligere me profitear, quam donum aliquod, quo faciliè è sacris Literis tantū percipiunt, quantum ad suæ deuotionis exercitationem, piamq; sacrorum librorum lectitationem, pensique diurni in diuino officio per solutionem opus erat. Vt enim plus aliquid concedam, non faciliè adducar, cum videam viros ipsos sanctissimos, Basilium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Bernardum, Thomam Aquinatem, oratione & cõtemplatione mirabiles, Doctoresq; in Ecclesia Dei positos, absolutam sibi sacrarum Literarū intelligentiā numquā arrogasse. Et sanè si rem ipsam cõsulamus, nihil vñquā dignius ab iis in hoc genere factitatū reperiemus.

Sed omittere nõ possum, quin moneam cauere sibi debere quemlibet, quæ diuina bonitas his deuotionis cognitionisq; luminibus subinde exornet, ne vel non satis agnoscat donum, vel agnoscens sibi nõnumquam in suis sensibus nimium placeat, & licet se minimis indignū, non tamen continuò eximios reputet, multoque minùs vt eximios referat. Possem exempla referre, sed absit vt quos ex animo propter summas virtutes veneror, de eorum apud alios existimatione, ob leuem & humanam incogitantiam, quidquam detrahā.

Art. 5. Eius qua mente perficitur orationis omnia genera complexum fuisse Ignatium.

Quatuor orationis genera posuimus, extra quæ aliud nullum reperiri credo, & satis probat ea quam c. 2. secuti sumus adhæc ipsa vestiganda diuisio. Ergo singillatim singula percurramus.

De applicatione quidem sensuum, nemini suboriri debet dubitatio, qui modò sciuerit, & eam totam, & nomen ipsum Ignatiani esse adinuenti.

De consideratione dixi, eius præcepta omnia eadē quæ meditationis ratiocinantis esset præterea ei quoq; dirigendæ inseruūt *examen* quod generale vocat, & modus orandi in præcepta atque de *potentijs animæ*. Quippe in præceptis expèdendum soler cõmendari, quid præcipiatur aut veretur, quam iustè, & ex ratione, quam graue sit peccatū quo contra venit, (omitto quam sæpè lapsi sumus) qua ratione eius cauere violationem, iussioni obsequi melius poterimus. At de facultatibus animæ, quid vnaquæque sit, quam necessaria & opportuna, cur & in quos vsus data, & denique (prætermitto quomodo simus vsi) quam rectè & ex ratione, ea in posterum simus vsuri. Quæ obseruationes, quantum ad omnem

considerationem valeant patet. Quod ad me tamen attinet, nihil vsquam pure considerari, nihil ad omnem prudentiam docendam dirigendamque efficacius, primo illo quod B. Pater ponit *fundamento*; quod, si ad plenum intelligatur, existimo solum satis esse, ad quamcumque (si modò res controuersæ notæ fuerint) considerationem, & deliberationem ritè & ex ratione concludendam: neque vnquam vllam ab eo quod oportuit aberrationem video, quin ex eo sit certa, quòd alicundè sit contra eius fundamenti præscripta peccatum.

De meditatione verò quid attinet dicere, cum eam totam perfectissimè suis omnibus partibus instruxerit? atque vt omittam quam accuratè docuerit, & quomodo ante illam parandus animus, & quæ feligenda materia, quantum in eamet præstet indicemus. Tres quippe meditationis partes dici possunt. Prima est ingressus in orationem. Secunda, ratiocinatio, ipsumque quodammodo orationis corpus. Tertia, cum iam expressus est affectus inflammator, iucundèque fluens meditatio, in contemplationis quietem molliter assurgit.

Ingressus in orationem præludijs continetur, omninoque ad iritandam meditandi appetentiam, deliciasque gustandas, plurimum faciunt. Totus verò præludiorum instructus & apparatus, à B. Patre profuxit.

Ratiocinandi verò methodum, totam illam quam fusiùs recensuimus à 9. ad 14. caput, abs illo non adumbratam tantum, sed sensim expressam præformatamque reperio. Poterit autem quiuis illud obseruare, ex illis quæ *primo exercitio*, vt inquit, *secundùm tres animæ potentias* traduntur. Quibus deinde, vbi ad alteram hebdomadem ventum est, personas, verba, opera, quasi iam profectionibus adiungit, sed & his alia vbi *de cæna Domini*, iterumque alia superaddit cum ad *resurrectionem* peruenit. Ratiocinationes autem apostrophis & exclamationibus illustres, quasque magnopere commendauit, planissimè docet exercitio secundo, exclamans ad omnes creaturas, cælum, solem, lunam, sidera, ipsaque elementa, cuncta animantium genera, terræ germina, Sanctos denique & Angelos. Illudque tam eximium exemplum tradidisse satis fuit, vt eos qui *sine intellectu non essent* ad eiusdem imitationem permoueret.

Colloqui denique nomen, & eius in meditando vsus à B. Patre est exortus, parique qua cetera, diligentia & cura excultus. Primò, quippe eius formam & præceptiones ad finem *primo exercitij* tradit, tum paulò amplius in ipso *tertio*: inde in *contemplatione regni Iesu Christi*: in illis quoque quæ de *incarnatione*, de *verbalibus*: ac latius vbi de *cæna vltima*, & denique in *contemplatione ad amorem spiritualium excitandum*. licet enim colloquijs in meditatione vtamur, & ad meditationem referantur, plurimum tamen de contemplatione participant, & docuimus vtilius esse, si hæc orandi genera misceantur.

Superest quartum orationis genus, contemplatio; de qua cap. 18. diximus, & ex ijs quæ tum attulimus, planissimeque è B. Patris doctrina hauimus, satis superque confirmatum reliquimus, ab eo nobis contemplandi quoque formam

traditam: restat vt addamus tantum ab eo fuisse præscriptum, quantum satis sit, vt ad summa veniatur. Expediit quippe vt filij quam copiosum illis patrimonium obigerit agnoscant, & eius fertilitate cognita, tali parente, taliq; cultura, non indecoros fructus proferant.

Imperfectiorem quandam, & perfectiorem alteram contemplationem eo loco dixi. Iam perfectioris, hoc est eius, quæ vnico clarissimæ in mente lucis radio, summas res intrinetur, duplex est, quod ad ipsam lucem attinet, modus vnus, quo impressa intimius abs Angelis specie, forma & similitudine aliqua, mentis acies quodammodo exacuitur, penitusq; in abstrusorem antè veritatem penetrat, quasi si illud ipsum cerneret, ad cuius intellectum mens prius quasi cæca palpabat. Alter modus est quando nulla specie, forma, vel similitudine obiecta, purissimo diuinoq; lucis radio, mens illustratur & assurgit, summasq; rerum cellissimarum veritates, iudicia, sapientiam, bonitatem, perfectiones Dei opt. max. limpidiſſimo quodam lumine contemplatur. Atqui hoc vtrumque iam antè art. 4. ex B. Patris doctrina explanauimus.

Iterum aliaratione duplex est, si facultates animæ quibus peragitur, consideremus: namque in contemplatione, vel dominatur affectus, vel intellectus, & hic quidem, quando is qui contemplatur, in perfectionum admirabilitate, veritate, & natura cogitanda defixus hæret, at voluntas in contemplatione dominatur, cum aliquo affectu vehementiore quasi lauciata, nequit satis, illa eadem voluens reuoluenſq; satiari. Sed hoc ipsum ex antè dictis patet.

Denique si energiæ & impulsus in contemplatione detinentis, modum spectemus, sic quoque bifariam diuiditur: vna vt sit, in qua diuinæ gratiæ vis sese latentius insinuat, occultè excitans, & lumina intellectui subministrans, vt vires & conatum ipse suum ad contemplandum exerat: Altera verò, in qua præcipuæ & potissimæ sunt partes Dei, gratia sua excitantis, mouentis, agentis, illustrantis, & quaquaersum ducentis, ac blandissima consolatione demulcentis. Hoc est quod *patri diuina*, quod cellissimum perfectionis apicem dicunt: neque sic debet intelligi quasi languente otio mens correpta nihil agat, sed quod Dei, non hominis sit, quod ibi dignissimum est & nobilissimum; cui tamen assentitur & acquiescit homo, præstantissimo amoris & gratitudinis in Deum intentus, intentus exuendo seipso, & Deo induendo. Sed profectò, & hoc ipsum, eodem superiore articulo 4. ex B. Patre explanauimus, & in tertio id in *vnitua* via doceri, & S. Patris doctrinam eò perfectissimè ducere probauimus. Quare ex dictis omnino certum demonstratumq; relinquemus, nihil esse in oratione mentis tam perfectum, quin ad illud suos & alios quosuis, atque adeò per libellum Exercitiorum manuduxerit B. Ignatius.

Art. 6. *Utereturne B. Ignatius sola meditatione, an etiam contemplatione quando librum Exercitiorum scripsit.*

Ex ijs quæ hæcenus dixi, sed maximè articulo secundo, quanta fuerit B. Ignatius contemplationis gratia præditus tum temporis cum libellum Exercitiorum scripsit, ita manifestum est, ut mirari satis non possim repertum fuisse, qui eodem libro scriberet, in initio B. Patrem via in Exercitijs præscripta, & sola meditatione progressum, at verò postea in extrema ætate ad sublimius contemplandi genus euectum, ut lib. 5. c. 1. vitæ ipsius habetur. Hoc scilicet dictum, scriptum, turque scilicet auctoritate comprobatum, ferres, Ribadeneira si viueres? Scio, bono animo prolatum, idè quæ auctoris (quem summo opere & veneror & diligo) nomini, non à me solùm, sed ab alijs omnibus paritum volo. De rei mihi veritate, non de hominis veneratione vel opinione est sermo. Quippe sic habeo, neminem vnum hominum reperiri posse, cuius omnia sint perfecta: nam sine vitijs, sine imperfecto, vel ignorantia vlla, nemo nascitur, nemo viuitt; optimus ille est qui minimis aut paucissimis vrgetur. ex hoc verò vnum aliud conficio, nempe quòd veluti purissimum aurum non idèd minoris sit, quòd agnoscatur illi aliquid deesse, quod ceraso, quod vili pomo inest, ita si præstanti alicui viro vel libro sit inaspera nonnulla à vero aberratio, quam non nemo ignorantior viderit, non propterea de illius debet quidquam auctoritate decedere: meliora multa præstò sunt, quibus hic defectus obregatur, malignique est oculi aciem à plurimis præstantissimis auersam, ad pauca vitiosa conuètere.

Duo igitur sunt, quæ non possum, nisi vehementer, in istis verbis improbare. Primum quod apertè innuitur, in libello Exercitiorum non nisi inferius & imperfectius orationis genus edoceri. Alterum tractabo mox.

Sed hoc primum, ex eis quæ dixi planè confutatum iacet: cum enim per libellum istum, eo quem secuti sumus progressu intellectum, vsurpatum, perducamur ad omnes vitæ perfectæ vias, Spiritus sancti motiones, arctissimam cum Deo coniunctionem, eam denique contemplationem, quæ siue agendo magis, siue magis diuina receptando perficitur, quid est quod in illo libello desiderari, quid illi superaddi queat? Diffusior forsàn, verbis sublatioribus turgescens explicandi modus? At B. Pater humilitatis spiritu ductus, maluit humili, & errandi vias non patiente scriptione, summè perfecta tradere, quàm ample & magnificè summa promittendo, inani verborum sono, spem accedentium eludere. Sed & proposito sibi sine illo, ut per hunc libellum, non lectum, sed vsu, sed meditando, sed sua genuina praxi, intimo animi sensu reconditum, breui, & securè ad diuina & spiritualia aptarentur homines, ita breuiter & dilucidè scribi, ita doctorem alteri tradituro, eius rei multipliciter faciendæ, debuit occasio relinquì.

Sed

Sed audiamus vnum aliquod ab optimis viris relatum, vt spectans ad excelsius illud orandi genus, quod videlicet B. Patris exercitijs putant excellere: *Voluntas, inquit, non cessat coram Deo, quem fidei oculis intuetur, mox illi venerabunda adstant, mox eius perfectiones admirans, mox gratias agens, mox eius bonis & presentia letabunda, se ipsam suamq; omnia illi offerens, dona Dei postulans, quibus ad eum accedat, cor suum tacite illi expandens, denique in omnem se transformans affectum, vt Spiritus sancti vnctio docuerit.* ita illi, bene sanè, nec est quod in illis displicere possit, nisi quòd ad suum id non referant Ignacium, cuius in libello Exercitorum tam illa sunt, vt negare nemo possit, qui modò libellum eum legerit: sanè non pauca eiusmodi à nobis scripta reperies, vbi de roborandis affectibus, & de colloquijs agitur, quæ tamen conscripseram priusquam hæc in manus meas incidissent. Consultetiam possunt loci illi, in quibus paulò antè dixi à B. Patre de colloquijs præcepta tradi, ibique & ardentius & dilucidius ista expressa reperies.

Sed &, si rebus ipsis sunt verba reuincienda, quantus fuit in contemplatione P. Petrus Faber, quantus Ouedo, quantus vir ille Apostolicus Xauerius? at non alijs quàm huius libelli exercitamentis utebantur: & quidem de hoc postremo memoriæ proditum est, solitum illum singulis fermè mensibus, vitam Christi Domini meditando contemplari: nempe qui istud obseruari quod antè monuimus, vt ex omnibus ad Dominum nostrum Iesum Christum, itemque ad SS. Trinitatem transgredi possit, facile sibi vndecumque contemplandi materiam seliget. Est autem hoc, ex doctrina in libello illo, tum aliàs tradita, tum in contemplatione de cæna vltima, de resurrectione, deq; amore depromptum: & illo B. Xauerius plurimum utebatur.

Denique non satis mirari possum, quid bonis illis viris in mentem venerit, vt hanc B. Patris doctrinæ laudem negarent, de qua modestissimè saltem tacere potuissent, imò verissimè ex illis quæ ipsimet censent asserere: sic enim docent, & quantum existimo verè, ad sublime illud contemplandi genus (quam perfectiorem contemplationem articulo superiore extremo nuncupavi) nò perueniri arte, neque donum esse quod cuius concedat Deus: at meditatione frequenti, affectionum & voluntatis propriæ despoliatione, iugique cum Deo præsentè connexu, reddi animum habilem & expeditum ad diuiniorum illam lucem sinu expandæ mentis amplectendam. Et verò cum in id fastigij fuerit quis euectus, existimare non debet, ea sibi lumina perpetuò & ad quæuis præstò futura, dispensabit illa pro sua voluntate Deus, ideoque paratum illi adesse semper debet à meditatione subsidiū, vt ad eam (cui fouendæ semper adest Deus) & refugiat, & inde virtutum incrementa conquirat, ita illi, & verè. Jam igitur cum & hæc omnia per Exercitia B. Patris conferantur, ac præterea præstetur, vt quæ dæmonis fraudes in istiusmodi luminibus latere possint, quàm securè & indubitanter illis insisti possit agnoscat; cum deniq; nihil præscribât, nihil doceant, quod cum ijs quæ à B. Patre traduntur in comparationem meritò adduci possit, certè non fuerunt

*§ Eos refu-
tat P. à Pon-
te in vita
P. Balca-
zar. c. 40.*

quasi abstrusiora venditanda, quæ hic certius & clariùs iam olim præmanfa de-
mōstrauimus. Infantibus imponatur, ab eis credatur si placet, interpolatis colo-
ribus, parietibus oblitis, noua facta omnia, nihilo magis credam mutato nomi-
ne, mysteria noua reuelata: * infantissimosq; eos deputabo, qui B. Patris Exerci-
tia, curules infantium rotas dixere, quas vbi robur accesserit, despretas, vt infan-
talia videlicet arma subannes! Annon iam olim de illis prædictum fuit: *Hæ-
tem quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter tamquam
muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.* Sed misere eos faciamus, respiscere et
eis quæ dixi possunt, si volunt, si nolunt, neque pluribus est opus.

Alterum quod in verbis initio allatis falsè dicitur, est B. Patrem initio Exerci-
tiji ad hæsisse, at postea ad perfectius contēplandi genus progressum, teste Ribade-
neira l. 5. vitæ eius c. 1. At, vt de auctoritate primū loquar, est illa euidēs in con-
trarium: asserit quippe Ribadeneira, B. Patrem ad extremum vsque vitæ longius
quotidie in perfectione progressum, adeò vt Manrefanas illas illustrationes, pri-
ma spiritualis vitæ rudimenta appellaret: quod non est dicere, nouum aliquid
orationis genus aut speciem ab eo vsurpatum, sed in eodē fuisse semper perfe-
ctiora scētatum. Et vt ad sensum eorum auctorū loquamur, quæro quid vniquē
in illis suis admirādis orationis ecstasibus vel maius reperere, vel æquale illis que
Ignatio Manrefæ cōrigerunt: illustrationum harum quæ lumina, quos fructus
Societate condita, è libello Exercitiorum descripto, miratur & decerpit: or-
bis? atqui non ad extrema senij tempora, sed ad primum tirocinium ista refe-
runtur. Et quidem vt ne homines conferamus (quod odiosum esse solet)
sed vnum aliquid referamus euentum, quo constet quàm solida virtute pro-
cedat.

Lib. 1. c. 12.

Benè, modestè, prudenter, verè, de B. Patre refert Ribadeneira, eum vidisse
liquando Sanctorum magnum numerū, fulgentem gloria, inter quos & Hozius
(ille sociorum qui Societate nondum coalita obiuerat) splendidiore quàm reliqui
habitu, gloriaq; multò illustriore cernebatur. Sed audi quid addit, *Non quòd san-
ctior ille ceteris aut beator esset: sed quòd Deus gloriam hominis, per insigniorem hanc
formam compertam Ignatio (vt ipsemet referebat) testatamq; esse voluisset.* ita ille ex
verbis & sensu B. Patris; à quo propriè hanc modestiā dicas velim, & nemini re-

Præf. c. 1.

præferens, *vocationem tuam bonis operibus certam facias. Audi fili mi disciplinā Patri-
tui, Ignatij scilicet, orationis & actionis præcepta, & ne dimittas legem matris tue,
consuetum & vsurpatum Societatis orandi modum: vt addatur gratia capiti tuo,
& torques collo tuo.* Illa erit certa via & secuta, qua ad summa quæq; pertinges. Si
verò aliquid legeris, aut vndecumque acceperis, quod ab hac forma recedat,
vel suspectum reprobaro, vel potiùs iniudicatum, aliisq; sine contentione ad-
mirandum permittito: sius eos estus, consueta locutionis inuolucra, vel longius
rapiant, vel parum attentis rapere videantur, tuta intus, certa incertis mi-
sceant: tu verò Ignatianæ formæ præcepta, multa discretionis luce splenden-

ria, peruigili mente obserua. Sed ex his & pluribus articulo 2. relatis constat, eodem tempore quo B. Pater Exercitia scripsit, supremo contemplandi genere vsum.

Verum in gratiam contemplatiuorum ostendamus, quam admirabile contemplandi genus illud fuerit, in gratiam inquam illorum: sic enim maiore boni Patris laude gaudebunt, & ex ipso maior illi contemplationi accedet auctoritas. Ergo in rem ipsam veniendum nobis est. Libellum Exercitiorum scripsit B. Ignatius, & scripsit homo literarum imperitus, primo (si mensum numerum ineamus) vitæ sanctioris tirocinio, cuius paulò antè sic rudis erat, vt de Sarraceno in honorem Beatissimæ Virginis macando, dubius hæretet: & in eo libello tam multa & admiranda, quanta diximus, est complexus. Atqui nemo hominum est, qui describere rem vllam possit, quin illius quam describit, quasi formam & imaginem quandam animo prænotatam gerat: quidquid autem nobis cogitatione inscribimus, illud sensu, ratiocinatione, vel doctore aliquo hausimus necesse est: hauriuntur sensu, quæ auditu, quæ visu, & si quo alio sensu delata, mentis cognitionem cient; ratiocinatione verò, quæ sunt eiusmodi, vt ex obscuris clara, ex incertioribus certiora, & ad nostram notitiam perducere possint. Doctoris verò vice fungi possunt, vel libri, quorù lectio habet instar vocis emortuæ, vel præceptores ac magistri, qui viua voce ignotum aliquid edocent, vel denique summus omnium doctor, omniūque veræ sapientiæ fons Deus. Iam vadenā Ignatianæ menti infederit huius libri idea quæramus? certè à sensu non potuisse constat, sed neque à ratiocinatione, per quam ad eam rerum talium excelsum, neque tam celeriter, neque omnino perueniri potest. Superest igitur, vt à doctore aliquo id acceperit, non quidē lectione librorum, quorum nec eiusmodi vllus exstabat, nec admodum lectioni, sed orationi vacabat totus, passimq; volutandis libris exercitissimi in Hispania Inquisitores, illum vt nouum habuerunt, & vt suū tradidit Ignatius: sed neque ab aliquo, per quem erudiretur, homine magistro accepit; à Deo ergo acceperit necesse est, diceretque cum Propheta: *Non cognoui literaturam: introibo in potentias Domini: Deus docuisti me à iuuentute mea, à primordio & infantia melioris vitæ meæ, & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua. Et vsq; in senectam & senium. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.* Sed qualis meditatio? Sanè quæ in altissimam contemplationem abiret, quam illam, nisi quæ planè assimilis esset illi qua Moyses legem, qua D. Ioannes Apocalypsim scripsit! vt enim illi legis præscripta dictabat, huic mysteria occultissima, resque venturas ostentabat Deus, ita necesse fuit, vt rerum in eam diem Ignatio ignotissimarum præscribendarum methodum, ordinem, formā præmonstrando præiret Deus: nec qua alia via id fieri potuerit appareat: nec primus ille hominis tam incensus feruor tantam in scribendo tranquillitatem & discretionem tulisset, vel ab oratione, & castigatione sui, ad scriptionis otium se conuertisset, nisi

Psal. 70.

Psal. 118.

clarissimo Spiritus sancti & potentissimo instinctu ad id adactus esset. Certe sentiet quisque quod volet, at dum hominis ruditatem perpendo, describens potius quam scribens speciem, prætulisse credo: sic tamen ut describendo ruditatem poneret.

Aliud quoque est quod apud me valet plurimum, facitque ut & auctoritatem quandam libro illi supra humanam tribuam, & existimem à Beato Patre infusa sancti Spiritus luce collustrato fuisse conscriptum. Etenim cum in more positum haberet Beatus Ignatius, nihil ut præscriberet, nisi accuratissime, multum diuque perpensum: cum in Constitutionibus condendis, iam senex & experientior, tot adhibuerit orationes, deliberationes & lacrymas; cum aliquot annos de illis periculum fieri voluerit, eisque quamdiu viueret auctoritatem legis negarit: cum sciret tanto maiorem Exercitiorum spiritus, quam Constitutionum rationem habendam, quanto (quod in præmio Constitutionum agnoscit) interna caritatis & amoris illius lex quam sanctus Spiritus scribere, & in cordibus imprimere solet, potius quam vlla externa constitutiones ad Societatem in diuino seruitio conseruandam, gubernandam, atque promouendam adiutura sit. Cum, inquam, eiusmodi esset, sciretque ab vno Exercitiorum libello spiritum & modum orationis, quam tanti faceret, & à qua vna Societatis bonum omne penderet, esse promendum, quid fuit cur illud sub ipsa vitæ sanctioris primordia conscriptum, non tantum nulli vnquam hominum expoliendum, corrigendum, censendum dederit, sed in primæuo suo tenore & forma pugnacissime defenderit, non cesserit Inquisitoribus, tantumque effecerit, ut se viuo, auctoritate quin etiam Apostolica probaretur? Quid, quod rerum suarum nullus vnquam commendator, sed subtilissimus occulator & dissimulator Ignatius, asserere cuidam amicissimo sit ausus, sentite se Exercitiorum spiritualium vsum, in hac vitæ esse id optimum, quod sibi deuinctissimo optare posset; tum ut sibi ipsi homo proficiat, tum ut fructus ferat, prositque & proficiat alijs multis? Quid fuit denique cur in extrema eazate, qua ut nonnulli dicunt an fingunt? ad excellentius orandi genus effuectus, alia omnia siluit, nihil nisi sua illa exercitia filijs suis hereditario iure habenda legauit: inuiditne, quod melius vidit & habuit? an veriùs nihil vidit, nihil habuit in orandi genere melius? profectò ita est, sciebat enim se id scripsisse, quod non ab homine, neque per hominem, sed ab ipso Deo didicerat, haulerat, viderat; nec aliunde vlla ijs de rebus vel optatio, vel suspectio, vel forma, vel cogitationis initium mentem eius inuaserat. Deum, Deum vnum oportuit tantæ, tamque limpida fuisse lucis auctorem. Et hæc crediderim moderatione intelligendum, quod à P. Laynio dictum scribitur, Patrum primorum ceteris Ignatium, Ignatio vero ipsummet Christum Dominum nostrum exercitia tradidisse; non quidem quod de S. Catharina Senensi tradunt, ac si oranti corporata specie præstò esset, sed quod claro & eximio lumine mentem eius ad eò illustraret, ut in perspicuis veritatis radijs vniuersam Exercitiorum œconomiam clarè cerneret.

Sed

Sed & hincse nobis aperit Ignatianæ contemplationis protus admirabile fastigium, in quo vitæ spiritualis arcana, mysteria fidei, Domini nostri Iesu Christi vitæ decursum, orationis & actionis, sibi & ceteris, non solum scientiam acceperit, sed tam dilucido luminis radio acceperit, vt non quasi caliginem, sed purissimam ingressus lucem, eam etiam nulla ambage verborum circumquaq; diffundat: quem enim tot Sanctorum, Deoq; coniunctissimorum victorum partem, magistrum, efformatorem diuina prouidentia posuerat; hunc orationis, hunc summæ contemplationis dono instructissimum esse, non sibi soli, sed ceteris quoque decuit, neque in seros vitæ annos differendum fuit, tum quia primos illos Religionum Patriarchas ab initio statim perfecit Deus, tum quia illi mox erant filij perfectissimi, & ad sui similitudinem progignendi.

Rarum igitur, & ab Apostolorum temporibus in paucis animaduersum donum, vt contemplando & orando sic edoceatur quisquam, nullo vt alio studio adhibito, clarè, perspicuè, & ad omnium captum accommodatè res summas enarrat: idque propterea factum quod muneri ad quod eligeretur opportunum id diuina Sapientia iudicaret, quæ dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem *Ephes. 4.* Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in adificationem corporis Christi. Lege & animaduerte qua sanctuarij mensura, quo pondere reuelationum dona debeas æstimare: nepe lumina illa mentis quibus doctores facit, ideo donat vt perficiantur Christiani fideles; vt munus quo quis defungitur, melius & perfectius obeatur; vt Ecclesia Christi, cui omnis aliorum accessio proficit, incrementa noua accipiat.

Cùm igitur tot Religiosis instituendis & perficiendis, cùm tanto Societatis gubernandæ & stabiliedæ muneri, cùm restaurandæ & amplificandæ Ecclesiæ, heulnimum hæresibus discissæ, excitaretur Ignatius; numquid non illi, cuius institutio breui utroque orbe diffundenda erat, æquum fuit, clarissimæ lucis illustres inmitti radios, tot nationibus clarandis efficaces?

Discamus etiam hinc, qua moderatione de multis, maximeque femineis, quæ circumferuntur reuelationibus iudicemus: vt neque temerè fidem abrogemus; neque illarum admiratores, non sine grauioris erroris periculo, nimis euadamus. Nec enim agrè, quod iuxta muliebremunus, & gratiam deuoti femine sexus est; illis concessero; nempe vt quædam quæ sibi agenda sunt, dilucidè vereque à Deo cognoscant, rerum quoque sacrarum & summarum, confusas quasdam, & deuotioni inferuientes imagines animo efformatas gerant, lumina quoque terminis quibus solum certis circumscripta, nempe, in opus ministerij ipsis demadati. Huc spectat sensus, & quodammodo gustatio rerum sanctiorum, verba quæ in privato colloquio vim habeant ad permouendam, vel ea docendum quæ ad actionem & mores faciunt. At verò vt vel mihi Scripturas enarrare, & SS. Trinitatis mysteria docere, vel eiusmodi abstrusiora velint explanare, non feram: *Mulier in scientia discat cum omni subiectione: Docere autem mulieri non permitto. Quod si sæculo-* *1. Timot. 2.*

*Id est, diuini-
tus edo-
ctos.*

rum omnium memoriam contestari uolueris, quid solida vnquam doctrina ab eis profectum reperies? Et ut de mulieribus non agam, exceptis paucis quos diximus Apostolicis uiris, consule eiusmodi *Isodidactes* homines, reperies sensum sacrarum Literarum contortum, alienum, minimeque genuinum, doctrinam cum sanctis Ecclesiae Doctoribus parum consentientem, explicationis ac non raro excusationis indigam, sermonem ab usu communi receptoque recedentem, ac res vulgares & claras, ut raras & obscuras, dum euoluere satagit, inuoluentem. Quo fit ut planè intra suos mihi limites coercendi esse videantur, nempe ut uiri boni, uiri sancti, sibi que aliquando utiles, & nunc in caelo beati, si mores probant, credantur, at ne propterea scientiae magistri, ne doctores, ne uia ab alijs sectandae demonstratores optimi credantur.

Et quoniam de uia monstranda, de methodo & arte saepe sum locutus: hunc locum finio, unum si monuero; quaedam esse quorum ars traditur, & arte atque industria obtinentur, ut ferè artes humanae: quaedam uero quae arte atque industria comparari non possunt, & melius tamen arte traduntur, non quod illorum sit ars, sed quod ad illa perueniendi, seu pertendendi sit quaedam ars; ac si quodammodo uiam te docuero qua possis ad castrum aliquod accedere, quod uerè dique praetis fossis inaccessum sit nisi nauigio: hinc uides, commostratione mea, tibi factum beneficium, quantumuis postea nauicula sit opus. Sic orationis, meditationis, contemplationis praecepta traduntur, nec ad earum tamen perfectionem praeceptis peruenitur: quippe cum ad summam infinitamque Deimitatem cogitatum hominis extollant, fieri nequit ut ad earum arcem occupandam, humana cuiusquam doctrina sufficiat. At quia ritè conatibus, benefica Dei gratia, quae propius accedentes transuehat, nunquam deest, conatus uero ceteriores perfectioresque ratione & arte redduntur quam solo casu, & indispensato imperu: propterea securius quodammodo, & compendiarè nos in Deum euocant, qui cogitationum regendarum, diuinæque gratiae praeparandarum, certam & claram methodum scribunt. Hoc autem praeter ceteris B. Ignatium perfecisse, cum experientia docet, tum ea quae de oratione dixi probant.

Art. 7. An contemplationis eius quae sit oratio, plura sint genera.

Haec breuiter percurram, quo illa quae adhuc dixi, clariora euadant. Sunt enim qui nobis plura contemplationum nomina ingerentes, totidem uarias adinuenisse se, uel saltem agnouisse gratulantur: cuius rei non in ipsis uerbis haeret incommodum, sed consequens est, ut non uno, sed multiplici scopo proposito, laborum nostrorum ad finem directio in incertum aberret.

Uarias contemplationis diuisiones antè protulimus: uerum, ut uerbo dicam, eius quae sit oratio, & abs mente diuina luce illustrata fiat, unicum genus, sicut, ut pressius cum Logica dicam, speciem unam credo; nec nisi modo, uel tempore,

vel materia, vel perfectione, vel aliqua circumstantia distingui. Quippe quemadmodum visus & intuitus oculi, specie non distinguitur, quamuis diutius, contentius, remissius, clarius, obscurius, vnam aut res plures specie diuersissimas inspiciat: ita non est diuersus animi intuitus, seu, quod idem est, non est diuersa contemplatio, si breuior, longior, contenta, remissa, obscura, clara, laboriosa, facilis, subita, praeuisa, perfectior, imperfectior, laetior, tristior fuerit. Vix enim nisi huiusmodi quasdam distinctiones intercedere qui attentius introspexerit deprehender. Quod vt ipsis rebus euincam, nonnulla quae profertur referam.

Quaedam est, inquiunt, contemplatio *quietudinis & silentij*, in qua cessat creaturam strepitus, Deus loquitur, audit anima, leniterq; nullis alijs interurbata moribus contemplationi acquiescit. Tantone hoc erat nobis molimine promittendum, quasi que de quadam abyssu eruendum? quid hic aliud, quam *primum indifferentiae fundamentum* à B. Patrepositum, cui orandi vsus accesserit? quid nisi contemplatio tranquilla? Sed pergamus: Est, aiunt, oratio *praesentiae Dei*, qui non foris, sed in nobis ipsis quaeratur: at iam olim Nouitij didicimus, *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*: Beatusque Pater, nonne in contemplatione de amore, docet in nobis esse Deum, & nos eius esse templum? Sed en alia; contemplatio haec est *solutum in cruce, voluntas curis exsoluta*: quid hic dicam, nisi quod & sunt effectus contemplationis, non ipsa contemplatio, nec est voluntas, sed voluntatis actus, quare, quod ante monui, pie & benignè, sed & prudenter intelligenda sunt: verum tamen hoc ipsum quanto excelsius in 2. & 3. gradu humilitatis B. Ignatius tradidit? Audiamus num quid aliud; si mentis ex illustrationes sic mentem totam occupent vt etiam à sensibus alienent, *ecstasis* dicitur; si subito & derrepente incurrunt, *volatus* quasi columbae liquidum aëra celeri penna secantis: ad quaetria, bene monere solent non aspirandum esse. Haec autem licet vera sint, aliud tamen contemplationis genus haud denotant, sed non aliter perfectiorem, & (vt ita dicam) penetrantiorem, quam Archimedis fuere studia praeter ceteris, cum vsque eò illorum ardore raperetur, nihil vt eorum perciperet, quae circa se fierent. Possent è D. Bernardo, D. Bonauentura, Richardo & alijs exempla varia proferre, sed hoc veritati probandae sit satis. Quamquam libens fateor Auctores eos qui eiusmodi scribunt, saepe non asserere, diuersane omnino, an tantum diuersi sunt eiusdem orationis modi; sed haec à me dicta sunt, vt clara & certa proferrem, doceremque non tantum non esse extra libellum Exercitiorum, quasi in alienigenarum puteis, aquam deuotionis quaerendam, sed à Domino per Beatum Patriarcham nostrum datum nobis fontem viuum, vnde limpidius & perenniter haurire possimus, & ad maiorem illo solo duce & auspice perfectionem peruenire, quam si alium abs eo adhiberemus. Et verò iniuriam B. Patri fecerit, qui ipsius Religioni alium aliquem magistrum, & praestantioris orationis doctorem datum affirmarit: quod quia neminem affirmaturum scio, non agam pluribus, id verò consequens esse assero, vt si orationis, ea quae in Socie-

rate

rare possunt esse præstantissima docuit, nihil autem de illa nisi in libello Exercitiorum docuit, inde necessarid eruendum, inde illud ipsum præstantissimum in depromendum.

Quòd autem non omnes id aduertant, causam dedi; quòd liber hic, vsum potiùs, & præceptorum gustum, quàm lectionem perfunctoriam quærat, & contra quàm alij ex fumo fulgorem, quàm ex fulgore fumum dare malens, nolit verbis magnificis vulgares sensus attollere, sed sensus reconditos plana & aperta dictione vestire. Quod prudentissimè & sapientissimè ab illo factum est, qui sapientibus & insipientibus vtilem operam nauate cupiebat. Videbat enim ea se scripsisse, quibus ad summa quæque peruidenda & vsurpanda, qui tantarum rerum capaces essent, perducerentur, quorum verò non tanta vis esset animi, illi sua se mediocritate quieti inuoluerent, fructus quasi generi suo conuenientes ferrent, potiùs quàm alta sapiendo aufererent: ac interim ita constanter perseuerando copiosorem diuinæ liberalitatis gratiam iritarent, quæ illos supra se altius eueheret.

Certè enim quatuor sunt quæ me ab istiusmodi turgescentibus ampla promissione, & verborum nouitate libris abstrahunt. Primò, quòd circulatim, multa que ambage nullam certam progressui viam denotant. Secundò, quòd magna promittentes, vt plurimum pauca & vilia exhibent. Tertiò, quòd promissis illucti multi, supra vires, & indiscretè audent. Quartò, quòd inquietos, quasi præillis nihil dum egerint, nihil perfectionis acquisierint, multos viros bonos redant; indeque illusionibus dæmonis magis obnoxios. Neque verò ab abusu hac argumenta promuntur: cum enim, vt docuimus, non sit noua vlla orationis forma, cum que vt ipsimet asserunt, non violento conatu, sed vocante Deo per meditationem, & consuetam contemplationem perficiatur animus, nonne eiusmodi pollicitationes sine causa exaggerare, est voluntariè alios in fraudem illicere. Mitto quòd iste tumor dicendi, parum sit humilitati Christianæ congruus, indeque fortè non rarò res pertenuis in inmensum laudibus extollunt: quod an sine aliqua vanitate, vel propriarum, & ad nos attinentium rerum amore nimio fieri possit, aliorum esto iudiciùm. Nos verò de singulis optimè sentiamus, optimaque voluntate viros præditos, honorisque diuini zelo ad scribendum impulsos, & veneremur & amemus, & meritorum quæ plurima magno conatu congregarunt, vna in caritate participes fieri optemus: quod mihi pro sua benignitate concedat, grauioreque meos condonet errores Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus vnus in sæcula, Amen.

personas, & earum { caritatem, dignitatem, formam, sexum, robur, firmitatem, educationem, nobilitatem, modestiam, venerationem. verba, & sermonem, silentium, rebus & personis conuenientia, dialogismos & diuerbia, quae esse potuere.

historiam, contemplan- do intel- li- gere rem

actiones, & earum { naturam, arduitatem, modum, celeritatem, tarditatem, tempus, auxilia, & circumstantias. finem actionis, & partium { se superandi: virtutem acquirendi: proximo praecipi: & quam omnia apta { lucendi: Dei honorem promouendi: pro peccatis ad finem { satisfaciendi: Dei gratias impetrandi. quo effectu seu fructu { aliorum qui vident & permouentur. { suo { hic se ipsos perficiendi in alteram vitam maioris gloriae.

cogitatus & affectus eorum qui sic agunt, vt qua animi alacritate, quid praeculis habentes, qua interdum tentatione & fluctuatione, qua deinde animatione, consolatione, desolatione res peractae.

Honestatem, & pulcritudinem { tum communem, qua virtus est. { tum propriam, qua eiusmodi est.

Cum ad meditan- dum accedi- tur: de- bet intel- ligi

non histo- ricam (ad quam historica sensum de- uocit) qualem est virtus, in ea

spe- ctat- do

Utilita- tem, in { anima sanitate: vitij depulsi- one: { perturbationum sedatione: habilitate ad bonum: { honore coram Angelis, hominibus, & Deo: { merito gloriae: vita aeterna.

Facilitatem, quam probant, aut faciunt { animus impavidus, & fortis: { natura, cui maxime consonat virtus: { exempla Sanctorum: terror iudiciorum Dei: { inenitabilis recte agendi necessitas: { auxilia caelitus, a Sanctis, ab angelis, a Deo parata.

iudicare ve in se, quod consequitur ex accurato intellectu rei iuxta naturam suam, & circumstantias bene perpen- sa.

qua- ren- do

quid illi repugnet. { quae in contrarium vitium propensiones habeamus. { quae argumenta tentatione suae contra insurrectione. { quibus vijs, quam sensim, qua moderatione, vel incitatione haec virtus comparetur: quamq; haec exercere honestum, facile, vtile, necessariu sit.

iudi- care practi- ce

quam sibi ea res conueniat, quam inde doceatur apte quam multum absit ab ea perfectione, quam conari debeat ad imitationem.

Hoc videbit comparatudo { personas personis { verba verbis { opera operibus { finem fini { affectus affectibus { effectus effectibus

vt

nobilior est: delicatior, verba, & res duriores perfert: ipso melioris vita initio: non religiosus: in patria: in suorum oculis: vt leuora peccata puniat: vt altiores spiritus comprimat: & hinc se ipsum tato opere perfecit, tot gratijs cumulatus est, vel nullo suo peccato, ad alioru salutem, ad exemplum, ad Patris Dei gloriae.

M m m

Voluntas

Amo- rem	Concupiscentia, quo rem aliquam propter me, vel alterum cui com- moda est amo.	amor autē, bonitatis cupidine in- citatur. Est verò bonum multiplex: nempe	natura sua perfectionem consecutum. conueniens, concordans, asimile alteri. munificum, liberale, fa- cile sua ceteris bona com- municans. quod virtutibus, vt pru- dentia, fide, &c. pradi- tum est.
	Beneuo- lentia, qui vel		
Volū- tas in- citan- da est ad va- rios affe- ctus, vt	Desiderium: quod iritatur exaggeratione	Honesti Facilis Vtilis & Inuiculi.	
	Gaudium seu letitiam in bono presente, qua excitatur	ob multa nobis presentia bona. ex persona eius Sancti quam induimus. ex quiete, sensu, natura cuiusvis boni operis.	
Tristitiā, quia	multa imperfecta habemus, & multis bonis caremus	hinc	letitia moderatior & certior, humilitas & gratitudo maior.
Spem, quam fouent	virtutis facilitas: exempla & auxilia Sanctorum, & Angelorum: Dei bonitas, & promissa: Christi, Domini merita.		
Timorem, non	vilem: ignauum: } sed perturbatū: } sedatum	magnanimū } sedula ignauum } cogita- sedatum } tione	nostra imbecillitatis: insidiarum & hostiū: iudiciorum Dei.
Audaciam, necessitate cogente.			
Irām, excandescendo in peccatum, & ea que vel anima, vel inimica sunt Deo.			
Et hi affectus nostre materia sufficiunt. Odium enim, fugam, desperationem nolumus: quamquam odium ex amore, fuga (si quando conuenerint) ex desiderio docetur.			

Hos primos affectus, eos etiam qui ex his oriuntur & misti sunt conseruamus, augemus, perficimus:
Primo, intueno quomodo Christus Dominus & Sancti afficerentur, quidq; persentiscerent in se dum ta-
lia agerent; Secundo, personam illorum subeundo, idq; sentiendo quod ipsi; Tertio, ratiocinando & re-
gendo, quanto magis nos idem sentire, eodem ferri debeamus.

- Admiratio, quae est intellectus, immodicam aliquam exsuperantiam obstupescens, & voluntati quasi quendam horrorem vel stuporem inferentis, vt in vno obtutu hereat: estq; varia, vt de
- summi Dei perfectionibus & iudicijs.
mysterijs & excellentia Domini nostri Iesu Christi.
perfectionibus & gloria Beatissima Virginis.
Angelicarum mentium natura, & in homines cura.
Sanctorum trophais, & gestis.
mundi totius connexione, & ornatu.
actionibus hominum admirandis.
virtutibus aut vitijs supra communem modum.
inopinatis euentis, & contrariorum conspiratione in vnum.
denique se varijs affectibus adiungit, vt admiretur amorem, o-
dium, spem, &c. & vehementius eos inflamat.
- Exclamatio } que sunt modi, admirationi, & cuius affectui, ac ratiocinationi
Interrogatio } explicanda, animoq; obijcienda apti.
- Actio gratiarum: quae est actus gratitudinis } agnoscens beneficia, indigno collata liberalissime.
in diuinas laudes erumpentis, & alia in easdem incitantis.
omnia in Deum referentis, omnia Deo offerentis.
- Resignatio sui in Deum, quae se homo } ad omnia durissima,
Deo suo } diuturnissima,
} sine detractione,
} in omne tempus,
} immo in eternum } magna caritate & fiducia
} tradit.
- Affectus }
mixti sunt } Formido diuinorum } dispensatione diuina gratiae,
} iudiciorum in } seueritate vltima sententiae.
} Detestatio peccati, cuius malitia damnorumq; non satis aestimari potest grauitas.
} eiusmodi persona,
} sic afflictæ,
} a talibus,
} tam innocenter,
} tali fructu, & exitu.
- Abnegatio propriae voluntatis respectu } nostri, vt illi vbiq; que licet obsequamur.
} inferiorum, qualicuerit obsequendo.
} equalium, deserendo.
} maiorum, ex animo, & perfecte obediendo.
} Dei, nos in omnibus ei conformando.
- Desiderium mortificationis } respuendo sensui grata, } seipsum vincere,
} vsurpando sensui molesti, } perfectionem acquirere,
} subeundo honori aduersa. } cupit } satisfacere pro peccatis,
} Sanctos imitari.
- Contentus huius vitae, desiderium aeternae.
Imitatio recte factorum, & virtutum.
Desiderium perfectionis.
Zelus animarum & honoris diuini.

ijdem, quibus primo excitati sunt, causis, accuratiùs & melius expensis.

Excitati affectus acrius incitantur	Tarditas vero oritur	Laborum, & periculorum fortitudine: eo quod malum parum extimescendum, parum amandum bonum putatur: consuetudine pigritandi, & natura tarditate: viribus affectui imparibus:	contra que	opponendi labores, & pericula eterna, virtutis incunditas & gratia copia ostentanda, boni & mali momenta diligentius estimentur, diuina severitas & sanctior consuetudo opponitur. si corporis, consule prudentem; si animi veniunt, spera in Domino, & mutabis fortunam.	Deum, angelos, Sanctos, corpus, & animam suam, homines, affectus, virtutes, vitia, caelum, terram, domum, loca, tempora, spectatores, instrumenta, adiuncta, & alia pro popacia apta.	Et quidem in his ratiocinando, & argumtis vrgendo: vt vide in cap. 14.
inflammatis, quibus is, qui meditatatur se sistis	Sancto alicui, vel Beatisime Virg. Christo Domino: alicui SS. Trinitatis persone: SS. Trinitati: vt	Domino: amico: sponso: iudici: Creatori: Redemptori: bonorum fonti: potenti: sapienti, &c.	co- ra- eo	sperando: timendo: se accusando: deprecando: erubescendo: implorando: obtestando: promittendo: & variè sese erigendo, ac offerendo	Et ad singula postulando	lumen ad boni malij cognitionem. consilium ad electionem. auxilium ad agendum fortiter & perscrandam. Vel si in agendis nõ versamur: admiratione & amore finimus.

Nota, eadem quæ hic sui causa sunt & à D:ro petuntur, alterius etiam causa faciendæ & petendæ esse: pro alio sperando, timendo, alium excusando, pœnas deprecando, intercessores illi conquirendo & adhibendo, per Sanctorum, vel Christi Domini merita illi Deum instectendo, &c.

In virtutibus,
& praeclarè
factis contem-
plari possumus

Christum Dominum

fontem omnis gratiae, à quo haec ipsa profluxit:
nunc sic illustrantem, & docentem hanc bene agendi
rationem:
exemplar omnis, atque ad eò huius, perfectionis:
qui meritus est, vt nunc tale bonum fiat:
defensorem contra daemones, & ea quae bonum im-
pedirent:
promotorem, & incitorem in bonum:
spectatorem applaudentem, & agonothetam dan-
tem coronas.

Deum ipsum, vt

tum temporis à Sanctis dum ea peragerent, aspecta-
batur:
à quo illa bona actio procedit: cuius aliqua perfectio
per eam indicatur; & in quo perfectius id ipsum
eminet:
insidentem, & praesidentem isti animae:
se mercedem illi operi facientem:
nobis posteris, tum cum ista fierent providentem; &
nunc etiam illa menti nostrae obiectantem; ac
eodem gratia stimulis incitantem.